



6
1 M F
14
VITTORIO
EMANUELE



[illegible] 6 pp. da 129 a 136
T. Q.
15.1.57

DE PARENTELA, ELECTIONE, CORONATIONE

FERDINANDI II. VNGARIÆ ET BOHEMIÆ REGIS,

PRINCIPIS ELECTORIS, ARCHIDVCIS AVSTRIÆ, DVCIS BVRGVNDIÆ, IN REGEM ROMANORVM,

LIBRI TRES.


CVM STIRPIBVS CONSANGVINEIS Augustæ domus Bauaricæ & Lotharingicæ.

Item Palatinæ, Saxonicæ, & Brandenburgicæ, adiecta rerum memorabilium breuicula narratione, & Religionum mutatione, &c.

Auctore Ioanne Friderico Matenesio, SS. Theol. Doctore, & Professore, D. Cuniberti Canonico, & Pastore, S.R.E. Protonotario.







COLONIÆ AGRIPPINÆ
Excudebat Arnoldus Kempensis.

ANNO M. DC. XXI.



SERENISSIMO, VICTORIOSISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

FERDINANDO II.

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORVM IMPERATORI Semper AVGVSTO, BOHEMIÆ, Vngariæque Regi, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ, &c. Domino ac Cæsari Clementissimo.



I. F. M. SS. T. D.



RIDERICVS Quartus Imperator, Austriacus, Maximiliani I. Pater, CAESAR INVICTISSIME, ex Auorum Tuorum serie dictus Pacificus, Hungaris regni diadema offerentibus, & importune consensum eius extorquentibus, quod Alberti II. Cæsaris filius Ladislaus quadrimestris esset, totus cohorruit, dixitque. *Absit à me scelus hoc, vt Patrueli meo paternam hæreditatem auferam*, cùm tamen sciret, nî acceptaret, Vladislaum Poloniæ Regem ad coronam vocandum. Ostendens ei per virtutis semitam ad Regna &

Imperia, quisquis legitimè præsidere vellet, enitendum esse. Quotquot enim ex AVGVSTISSIMA DOMO TVA, siue ad Régium, siue ad Imperatorium apicem euecti fuerunt, id vnicè curauere, vt Religione Duce, Iustitia comite, quod rectum esset coram Domino, facerent semper, neque vnquam committerent, illicitis apud Deum hominesque titulis gloriosam purpuram obscurare. Hinc adeo Religio orthodoxa incōcussa apud illos stetit, iustitia, clementia, temperantia, animi magnitudo, liberalitas, placabilitas, innocentia, voluptatum abstinentia, omnes Imperatoriæ virtutes in heroibus illis viguere, vt nemini mirum videri debeat, tantis honoribus diuinitus illos fuisse cumulatos, & porro cumulandos esse, cùm ad oculum pateat, qui nunc ex illa familia sunt superstites, vt regnis, potentia, diuitijs Maiores superarunt; perinde fide, Religione, morum integritate, æquitate legum, armorum felicitate, pacis artibus domi forisque illos aut anteuertere, aut certè adæquare, optimi Principes, contendant, vt appositè comparandi sint cum illo Maronis ramo aureo, pomorum aureorum ferace, in quo

Vno auulso non deficit alter
Aureus & similis frondescit virga metallo.

Inspiciantur illi, quos in theatro magni orbis in diuersis Europæ, Asiæ, Africæ, Indiarum & quidem vastissimis Regnis in scenā eduxit Rex Regum. Cuius vtique diuinę Prouidentię schema, in TE, Inuictissime Imperator, admirandum posteris & æmulandum spectamus. Quid enim TE, Felicem ac iuxta Magnum effecit, nisi quas dixi, Imperatoriæ virtutes, & Domina fascium Regalium, Iustitia. Omisso igitur hæreditariarum Prouinciarum catalogo, quas legitimus hæres adiisti, à Bohemorum statibus testimonium summatim petam, quod de adepto legitimè Regno præbuerunt, Anno Christi 1617. quanto cum desiderio ab eisdem fueris ad coronam euocatus, quàm gratanter susceptus, quàm auidè salutatus, quàm gloriosè procla-

clamatus, quàm magnificè coronatus, adeo vt in Reuersalibus Tuis palam testareris. TE promptam istam Tui susceptionem & coronationem animo gratissimo & Regiâ clementiâ compensaturum. Vngari verò in Comitijs Regni generalibus A.C. *1618.* sic processerunt. *Vniuersi Status & Ordines Ser.*[mum] FERDINANDVM *Regem Bohemiæ, Sacri Romani Imperij Electorem, Archiducem Austriæ, &c. ob excellentes & heroicas, quibus pollet animi ingenijq; dotes, post plures eorum tractatus, iuxta antiquam consuetudinem & libertatem eorundem obseruatam, paribus votis vnanimiq; consensu in Dominum & Regem ipsorum rite elegerunt, proclamauerunt, inuocatoq; demum Numinis diuini auxilio feliciter etiam coronauerunt.* Ecce artes Austriacæ, adeundorũ Regnorũ Suæ Ma.[ti] cũ Ser.[mo] sanguine domesticæ: quæ vtiq; argumento sunt nequaquam insanis Ambitiosorum substructionibus, neque sanguinarijs Tyrannorum consilijs S.[am] M.[tem], sed siue Electione, siue successione legitimis ad geminum diadema euasisse. Neque tamen Felicitatis metam Deus hic fixit, sublimior virtuti Regię corona parabatur, nimirum vt Caput orbis Christiani, & Imperator fieret, & per irreprehensibilem Sanctionũ Cæsarearum Capitulationumque callem, in eminentissimum apicem vnanimi Electorum suffragatione ascenderet. Hinc cum ramis aureis Augustissimæ domus Austriacæ committeris, qui longè lateque famam nominis vestri, & potentiæ fines protulerunt. Talis fuit Albertus II. Cæsar, dictus Honorificus Sigismundi Cęsaris gener, qui spatio anni vnius, videlicet *1438.* raro exemplo & inaudito Vngariæ, Bohemiæ, & Imperij ternas coronas coniunxit. Talis FERDINANDVS I. Auus Tuus, qui anno Christi *1527.* Bohemiæ & Vngariæ & A.C. *1531.* Coloniæ electus coronam Imperij Aquisgrani adiecit. Talis Maximilianus II. Patruus, qui electus Bohemiæ Rex A. C. *1548.* coronas Bohemiæ Imperij, Vngariæq; A. C. *1562.* & *1563.* intra vnius anni circulum accepit. Talis Rudolpus II. qui anno Christi *1572.* Rex Vngariæ Posonij, & *1575.* Rex Bohemiæ Pragæ, & Romanorum Ratisbonæ coronatur. Talis denique

Matthias, qui A.C. 1608. Rex Vngariæ Posonij: & A.C 1611. Rex Bohemiæ Pragæ & A. C. 1612. Rex Romanorum & Imperator salutatur, & Francofurti 24. Iunij coronatur. Talis & ipse es, Cæsar inuictissime, cui A.C. 1617. 1618. 1619. illa triplicis diadematis felicitas ex diuinæ Prouidentiæ dispositione admirabili gradatim obuenit. Felicitatem itaque indepta est Ma.[tas] V.[ra] Magnitudinem adijciendam duxit ille, qui corda Regum in manu habet, vt cum felix sis & Magnus audias. Per labores, angustias, ærumnas, perfidiam Principum, perduellionem subditorum ille titulus verè Augustus comparatur. Ignis quo clarior fulsit, citius extinguitur: viuacior est, qui cum lentâ difficilique materiâ commissus, fumoque demersus ex sordido lucet, & seipso factus fortior, latè obambulat. Hinc Sigismundus Cæsar Imperatorem illum dixit legitimum, quem neque secundæ res extollerent, neque aduersæ deprimerent. Reddet enim Deus Iustus Tuæ Cæs. M.[ti] *bonum pro illâ maledictione*, quâ Imperij auspicia contaminarunt Rebelles. Arbor enim illa aurea Austriaca FERDINANDAEA,

Per damna, per cædes ab ipso,
Ducet opes animumq; ferro.

Itaque cùm omnibus inculpatissimam illam S.æ Ma.[tis] viam ad Sacri Romani Imperij summum post Deum in terris fastigium, ad oculum demonstrare velim, Electionem coronationemque breuiter hisce libris complexus sum. & Sacræ Augustissimæ Maiestati inscriptum eo, primo, quod ferè alios idem fecisse legam, qui Maiorum Electionem & Coronationem descripserunt, & quibus artibus incomparabiles Archiduces honore supremo potiti sunt, vniuerso Orbi detexerunt. Dein vt hostium euulgentur imposturæ, quibus directè, licet clàm ipsam arcem, Augustissimæ domus Austriacæ subruere funditus moliti sunt per id temporis, quo ad tantum Imperium cælitus vocabatur. Præterea vt Principum S.R. I. orthodoxorũ, quos

quos Septemuiros & Electores vocant, & confœderatorum virtus religioque patescant, ad monumentum tantorum Nominum perenne. Denique vt mei humillimi clientis erga Sacram Cæsaream Maiestatem aliquod argumentum deuotissimi animi calamo scriptum extaret, quam tanti Orbis Christiani Monarchæ, & Principes fortissimi iuxta ac pientissimi defendendam fortunis, vitâ, sanguine propugnandamque susceperunt, verificeturque illud sacrarum paginarum oraculum, quod *iudicarit, pro Maiestate Sacra Deus de manu omnium, qui surrexerunt contra Eam.* Colon. Agrippinæ, ex Immunitate S.Cuniberti. Anno Christi *1621.* die *15.* Iulij.

S.ae Caes.Ma.ti
aeternum
deuotissimus

Ioannes Fridericus Matenesius, SS. Theol. Doctor, S.R.E. Protonotarius, ad D. Cuniberti Canonicus, & Pastor, Archiconfraternitatis SS. Crucis Assistens.

NOBI.

NOBILIBVS, AMPLISSIMIS
ET PRVDENTISSIMIS VIRIS,
AC DOMINIS,

Domino IOANNI à Bolandt VII.Consuli.
Domino MELCHIORI à Gail I.Consuli.

ET VNIVERSO LIBERÆ ET IMPERIALIS CIVITATIS COLONIENSIS SENATVI VIGILANtissimo, Dominis & Mecænatibus suis colendis.



RATITVDO animi, suo iure exigit, Viri Amplissimi, vt aliquod vobis monumentum figam, qui singulari subsidio annuo studia mea prosecuti estis. Et cum obseruantissimi Cæsarum iam inde ab incunabulis & imperij, & Principum extitistis scio nihil vobis optatius exhiberi posse, & gratius, quam vbi eiusmodi Heroes, gestaq́ eorundem describuntur. Quis enim maior Cæsare Ferdinando II. quis morum sanctitate, & iustitia Imperatoria gemmis illustrior. Dominus noster est, & nos subditi Domini illius ter fidelissimi, Religione, obedientiâ, cultu. Quid Septemuirorum Senatu, Moguntini, Treuerensis, Saxonis, Palatini, Brandenburgici, Bohemiæ Regis, Augustius? Quis Alberto VII. Burgũdionum & Belgarũ Principe, potentior, sanctior? Quis Ferdinando Electore, & Maximiliano Duce Bauariæ, Triumphatore rebelliũ religiosior, fortior, & Neoburgico Palatino, Duce Iuliæ, Cliuiæ, Montium &c. vicino Principe pacis amãtior? Addo quotquot in Imperio Liga Catholicæ incorporati Principes, Duces, Comites, quos omnes in paucis paginis viuos velut effigio, quorum intererat augustissimam tanti Cæsaru Electionem & coronationem, qua curare, qua præstare, qua honorare, pateatq́ quinam illi sint, qui genua ante Baal non curuauerint. Vos igitur à ciue vestro hoc munus suscipite, & quanto stilus ingratior, forsan non mea incuria, tanto aduersu Zoilos patrocinium sit gratius, quandoquidem quod nobis post Deum in temporalibus acceptissimum caput est, cum summa, quale sit, admiratione legetis. Valete. ex Musæo nostro Cunibertino. 16. Iulij.

Bene-

Beneuolo Lectori. S.


Ropositum vides, Lector Beneuole, Parentelam breuiter, Electionem & Coronationem FERDINANDI II. Romanorum Imperatoris semper Augusti persequor, quas vniuersus Orbis Francofurti A. Christi, 1619. solemniter peractas spectauit. Exemplo scriptorum motus, qui ex eadem familia diuersorum Imperatorum Electionem & coronationem ad posteritatis memoriam seorsim ediderunt. Quibus, licet nec styli, neque doctrinæ commendatione æquare me posse lubens profitear, de diligenti tamen indagine præcipuarum rerum, tum ipsammet Sacram Cæl.am Ma.tem tum Electionem coronationemque eiusdem contingentium nihil remisi, quin non accurate, qua potis illa calamo crederem, quæ quidem oculis auribusque hauriri, quæ lectione relationeque sciri potuerunt. Hoc pro scopo præfixum habens, vt diuinitus datum Regem Cæsaremque illum suum & Christum Domini melius agnoscerent subditi, & colerent, tum verò vt æmulorum impietas iuxta, atque nefandissima immanitas omnibus magis innotescat, dum vncti verticis & sacrosancti Maiestatem non veriti, tam barbarè in illum eiusque prouincias hæreditarias, & innocentes animas sæuierunt, quem tamen admirabili diuinæ Prouidentiæ dispositione ad summum in terris fastigium ipsi quoque euexissent.

Dein in Augustissimâ Cæsaris Genealogia non à Deucalione aut Priamo Euandrique Matre ducam initium, aut illo fabuloso fere quorundam Magnatum conditore AEnea; quod parum ad rem illa faciant: non à Perleonijs Romanis, neque à Francorum Austrasię, Burgundiæ Regibus, vnde non minus verè quam ingeniosè hodierni Austriadæ ab Eruditis plerisque deducuntur: sed ijs duntaxat, quos virtute ac sanguinis censitione extra omnem aleam constat in potentissimum Cæsarem nostrum influxisse, adeò vt ex tot originibus & inexhaustis scatebris magnus ille meritorum fluuius, quin immo Oceanus cognoscatur, quem cælitus incomprehensum Numen in Ferdinandum II. corriuauit. Omnia ex grauissimis Auctoribus desumpta, & eorũdem, si res postulet, auctoritate quoque firmanda, quæ toto opere complexi sumus. Quod si quem antiquiores origines videre delectat, is Guillimannum, de Roo, Lazium, Reusnerum & Pietpordium adeat, Siffridum item Abbatem, si Sanctos eiusdem familiæ nosse velit, qui palam docet, ex Maioribus (si Aniciam & Perleoniã Romanas stirpes spectes) nostri Cæsaris prodijsse Patriarcham illum Religiosorum in Occidente S. Benedictum, S. Gregorium Magnum Ecclesiæ doctorem, S. Maurum, Placi-

** dum

dum,aliosque albo Sanctorum inscriptos, denique illud Religionis doctrinæque Catholicæ firmamentum S. Thomam doctorem Angelicum, de quibus ille copiose discurrit.

Tertiò, quam sollicite Principes Electores Sacri Romani Imperij (singuli Reges propemodum potentissimi) in eligendo & coronando Cæsare procedant, quanta cum Religione, quanta legum cum humanarum, tum diuinarum obseruantia, quanta cum conscientiæ integritate, & quam efficaci iuramenti sanctitate Spiritu sancto in omnibus viam signante, vt pene impossibile fuerit, non nisi ab optimis Principibus tanta religione insignitis, optimum Cæsarem eligi potuisse, expensis omnibus ad illam iustitiæ libram, quam Otto III. Imperator pro cõseruando in Germania sacro Romano Imperio, sustinendam præscripsit. Nunquam enim ad eligendum & coronandum prius progressi sunt, quam Os Domini supplices consulerent, & illud in omnibus deliberationibus, capitulationibus, actionibusque accuratissimè sequerentur. Ea propter & S. Matris Ecclesiæ preces suffragiáque, ritus, aliaque curiose apposui præsidia, quibus Supremi Numinis Clementiam ad tanti Imperij gubernacula moderanda necessariam Regi Cæsarique suo cælitus deuocarunt, quæ cõtra Nouatores pro Religionis Catholicæ confirmatione cum stupore leges. Namq; eadẽ esse inuenies, cũ illis, quæ ante enatas horum temporũ hæreses ex Pontificali Coloniensi in coronatione gloriosissimi Regis Maximiliani I. adhibuit Hermannus Archiepiscopus Coloniens. ex familia Comitum Prouincialium Hassiæ, & Elisabethæ progenie, A.C.1486. die 9. Aprilis Aquisgrani: & quæ ibidem alij Antistites prædecessores in Regum coronatione adhibere consueuerunt.

Denique citius dedissem luci opus hoc, videlicet ante sesquiannum: verum obicem temporum iniuria non contemnendum interposuit. Sat cito, dummodo placeat & fauorem impetret. Quem licet, ob meam lucubrationem nequaquam mereatur, vel maxime tamen illum merebitur, quod tanti Cæsaris ornamenta describat, qui tum, quod in oculis Dei placitum fuit, semper fecit, tum vero bonorum virorum testimonio Iustissimus & Innocentissimus est & prædicatur. Hunc itaque eo modo effigiatum cum laudatissimis heroibus & omni immortalitate dignissimis in lucem damus, Principibus Electoribus Moguntino, Coloniensi, Treuerensi, Saxone, Bambergensi, Bauaris, Lotharingis, Comitibus, Prouincialibus Hassiæ: Palatino, Brandenburgico, & correspondentibus, & alijs, vt cum propter illum ab electione ferè CCL. millia militum in armis fuerint ad illum defendendum, exiguus hic chartaceus labor meus eidem quoque militet, & æternum seruiat, pro cuius caussæ æquitate, vti Cæsaris mei Clementissimi, etiam vitam

& san-

& sanguinem pacisci, si opus sit, non reformidem. Lege & fruere, Lector Beneuole.

ISAIAE XLI.

Ne timeas, quia ego tecum sum: ne declines: quia ego Deus tuus. Confortaui te & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera iusti mei. Ecce confundentur & erubescent omnes, qui pugnant aduersum te: erunt quasi non sint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi. quaeres eos, & non inuenies, viros rebelles tuos: Erunt quasi non sint, & veluti consumptio homines bellantes aduersum te. Quia ego Dominus Deus tuus, apprehendens manum tuam, dicensq́ tibi, ne timeas ego adiuui te.

Censura.

In tribus hisce narrationis historiae libris, nihil inueni, quod religioni Catholicae, aut morum honestati aduersetur; plurima verò ex omni antiquitate magno labore conquisita occurrunt, non iucunda solum, sed & dignissima lectu. Scriptum Coloniae 10. Iulij, Anno 1621.

Henr. Francken Sierstorpffius SS. Theol. D. Regens Laurentianus, Librorum Censor.

SYNOPSIS BREVIS RERVM MEMORABILIVM, QVÆ HOC OPERE CONTINENTUR, complectens tempus vitæ FERDINANDI II. mensium circiter duorum.

EX INTRODVCTIONE.

SYNOPSIS RERVM memorabilium ex libro I.

FERDINANDI II. MAiorum Imagines, Genealogia & Parentela proxima Austriaca cum Elog[i]j.

MAIORES FERDINANDI II. Cæsares.

MAIORES FERDINANDI II. Reges & consanguinei Heroes, & Affines.

O admiranda Diuinæ Prouidentiæ circa hanc Domum abyssus. Obstupescite cali & auribus percipe terra, viros gloriosos in generatione sua, &c.

ILLVSTRES FOEMINAE, Reginæ, Jmperatrices, Ducissæ, Archiducissæ, Sanctimoniales, &c.

SYNOPSIS RERUM MEMORABILIUM.

Ex Libro II.

De Principe Ioanne Suiccardo Archiep. Moguntinensi.

De Archicancellariatu Electorum Ecclesiasticorum. Et Electoribus secularibus quatuor.

De Procuratoribus absentium Electorum, seu Nuncijs legalibus.

De Ducibus Bauariæ.

De Comitibus Prouincialibus Hassiæ Darmstadiensi & fratre.

De ciuitate & Ecclesia Bambergensi.

De Oratore Sacræ Regiæ Catholicæ Maiestatis.

De Legato Apostolico.

De Duce Saxoniæ & Electoratu eius.

De FERDINANDO Hungariæ & Bohemiæ Rege, Princ, Electore & Rege Romanorum Electo & Coronato.

De Electore Brandenburgico Joanne Sigismundo, & Electoratu.

De Comitibus Zolleranis.

SYNOPSIS MEMOrabilium rerum lib. 3. de Coronatione.

De Coronatione Regis Romanorum & consecratione FERDINANDI II.

*** De

De Regalibus Imperij & Clenodijs, corona, sceptro gladio, manto, &c. fonte, &c.

De Rege Romanorum Ferdin. II. Coronando.

De Officijs Septem Electorum, circa coronationem, & legalium Nunciorum.

De Ducibus Lotharingiæ.

Ioanne Godefrido Episcopo Bambergensi & Herbipolensi, & Herbipolensi Senatu.

Quomodo excipiantur Imperatores & Reges apud Orthodoxos.

De Francisco Principe à Lotharingia, Decano Maioris Ecclesiæ Coloniensis: Leodiensis & D Gereonis Canonico.

De precibus Coloniensium pro felice Electione Cæsaris.

FINIS.




IN ELECTIONEM ET CORONATIONEM

SERENISSIMI, POTENTISSIMI, INVICTISSIMI PRINCIPIS ac Domini,

D. FERDINANDI II.

ROMANORVM IMPERATORIS SEMPER Augusti, Alemanniæ, Vngariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ Regis, Archiducis Austriæ, Ducis Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, VVirtembergæ, Superioris & Inferioris Silesiæ Ducis, Marchionis Morauiæ, Superioris & Inferioris Lusatiæ, Hapsburgensis, Tyrolensis Comitis, &c. Cæsaris nostri super Clementissimi, &c.

Isagoge siue introductio breuicula.



Istoriam Electionis & Coronationis solemnißima Ferdinandi II. Romanorum inuictißimi Regis & Imperatoris semper Augusti narraturus, rei gesta incorruptam veritatem, & sancta Matris Ecclesia, & Sacri Romani Imperij per Principes Electores in vtraque perficienda sanctificandaq; vota, comprecationes, ritus, cæremonias, capitulationes, cæteraq; qua circumstant momenta duntaxat spectaui, & quia ad posteritatis memoriam vtilißime transmittuntur, in lucem proferre decreui. Arcanis Principum Capitulationibus, quas vulgare nefas est, abstinui: si tamē in vulgus emanasse illas contigerit, publico iuris facta sunt, & citra cuiusquā praiudicium omnium oculis, vt sermonibus subijci possunt. Familiare namque est hominibus plerisque, distorto affectu laborantibus, ingenuo veritatis vultui ac lineamentis,

 odij,

odij, ira, obtrectationum, & affinium calumniarum laruam apponere. Ex deprauati id aui nostri moribus malum profluxit, quo discordes hæreseos Caluiniana & pestilentes spiritus iustitiæ sacrosancta leges refigere, articulos fidei, ac politiæ consulta prophanare, vncto Domini, & orthodoxos Principes, legitimum & diuinitus datum Magistratum de statu deijcere, omnia aura ac priuilegia, religionem fœderum in controuersiam trahere, disputare, violare scriptis mendacissimis, & armis iniustissimis attentent. Fateor ego apud multos vernacula lingua editam vtramque inaugurationem extare, & in rapsodiis tumultuariorum & præcipitum historicorum collectaneis latinè inueniri: verum adeo exsucca sunt, vt parum Lectoris animum exosa macie afficiant, quæ de tanti Cæsaris meritis, litteris suis consignarunt. Quibus etsi facultas fuerit largissima, defuit tamen voluntas hæretica forsan contagie liuidata, vti & memoria constantia, quod neque auribus, neque oculis ea committere potuissent, quæ adeo diuersa pugnanteque agibilium varietate ibidem gererentur.

Quod quidem grauius ex eo capite videri potuit, quia ab omnium retrò seculorum memoria, quibus legitimorum Electorum suffragatione Austriaci ad Cæsareum fastigium euecti sunt, nulla vnquam neque Electio, neque coronatio habita institutaque fuerint, quæ maioribus domesticorum periculis, hostium futelis, ac rebellium quorundam æmulorum machinationibus inconcessis exundarint. Et ne titulum coloremque suis attentatis præfigere non posse viderentur, illam continuam, neque alias interruptam illius augustissimæ domus successionem, in quâ nouẽ serie eadem Imperatores recensentur, obtruserunt, quasi illa Aureæ Bullæ sanctionibus, & liberrima Electionis ex S. R. Imperij Principum gremio iuribus vetustissimis è diametro aduersaretur: cum tamen ipsorummet æmulorum calculo omnibus passim innotesceret, ne latum quidem vnguem vllum Principum Electorum seu Legatorum in solemnitate vtriusque inaugurationis à præscriptis constitutionibus Caroli IV. (quantum quidem hæc tempora ferre potuerunt) recessisse.

Primus impetus, pro dilatione Comitiorum fuit ab hostibus irrequieta contentione susceptus, quam sæpius tamen irritam in Bohemica & Vngarica Coronatione cecidisse indecores experti fuissent: illi tamen perfringere, & impiorum conatuũ potentes se futuros sperare, vti in plerisq; Imperij comitijs diatisq; factũ nouerant, quas grauaminum suorum quæsita atq; expracticatâ Iliade Caluinianis interposita obiectaque, cum plausu sociorum feliciter soluissent, à quibus re infecta discedere Electores, Principes, Ordinesque Imperij compulsi fuissent. Nunc vero cum isthac Electio & Coronatio singulare diuinæ Prouidentiæ opus fuerit, omnia illorum consilia, vti illius Achitophelis infatuata fuerunt, nec quantumuis ingeniosa fraudulentia eadem expoliuissent vulpinatores, aduersus Dominum præualere potuerunt.

Quæ vero vt paulò altius memoria repetam, fundamentum radicemque harum tergiuersationum, ob oculos ponam. Catholici namque & Augustana confessionis ordines, vbiuis in Comitijs votorum suffragiorumque numero præcellebant, vt secundum

maiora,

tora, nunquam concludere ex animi sententia possent. Itaque in his Comitijs res bene *nda occasionem neutiquam negligendam esse iudicauerunt, quin non ante Electio-* *s Ferdinandi II. ratificare vellent, quam Catholici & Augustani status eorum* *uamina sustulissent, & postulatis suis satis fecissent, hactenus in S. R. Imperio inau-* *s. In aulico Caesaris tribunali de suo gremio, qui farris Caluiniani essent, totidē per-* *us exigebant, quod machinationes suas semper ibidem naufragium facere viderent,* *nunquam in fauorem suarum partium sententiam ferri : quin immo eò audacia* *cesserunt, vt penitus idem sublatum & abrogatum vellent, ne deinceps sacrosanctæ* *stitiæ legibus grauarentur.*

n Camera Imperiali totidem assessores quoque collocandos suæ sectæ, quot statuum *nt, eademque illis Iureconsultos præsentandi facultas, quæ Principibus Catholicis* *mpeteret, praeberetur: Episcopatuum, Prælaturarum, Canonicatuum, & beneficiorum* *lesiasticorum adeundorum eodem iure cum Catholicis fruerentur, nimirum vt* *sim Orthodoxos omnes extinguerent, & Augustanos, ipsique consortum impatientes* *in Clero rerum potirentur, vti in Germania nostra & Belgio cum dolore specta-* *s. Hinc nemini mirum videri debet, si illas lites processusque declinent, & subterfu-* *nt, quos pro recuperandis cœnobijs & beneficijs Ecclesiasticis Catholici instituunt,* *pedetentim omnes tam Catholicos quam Augustanos, & coalitam in Imperio v-* *umq; pacem stirpitus euertant, nec vllum quidem vestigium priscæ & orthodoxæ fi-* *Cleri, totiusque ordinis Ecclesiastici, relinquant.*

Viderat id notaratque orbis Christianus vniuersus, & cumprimis S. D. N. Pau- *Papa V. quam nimirum graueolentiam æmulorum isthac vomica & saniem esset* *tura, qua pulcherrimam Ecclesiæ faciem, & tranquillitatem Imperij inficiendam* *proculcandam sibi delegissent, pro paterna sua solicitudine, quam erga nobilissimum* *lesiæ ramum Germaniā gereret, legationibus, monitis, Breuibus iam inde ab annis,* *semper suos sedis Apostolicæ Nuncios, quos ad ipsam Cæsaream Ma.tem & Rheni* *uincias de more Ecclesiæ Romanæ vetustissimo receptissimoq; mittit: nominatim vero* *R.mum & Ill.mum D. D. Antonium Albergatum Episcopū Vigiliensem, raræ pru-* *tiæ laude, & religionis asserendæ zelo instructissimum, Sanctæ sedis Apostolicæ cum* *state Legati de latere Nuncium, DD. Impp. Rudolphum, Matthiam, Principes Ele-* *res, aliosque Imperij Ordines vrgebat, vt ad euitandas eiusmodi factiosorum tempe-* *es, & opprimendas, Regem Romanorum dicerent, qui Romano Imperio execrabili* *identia dissidenti, priscam confidentiam & pacem postliminio redderet, qui exulan-* *proscriptamque iustitiam reuocaret, qui Sac. Cæsaream Ma.tem cōtemptui ac lu-* *rio passim habitam, conciliatis Ordinū animis in pristinum splendorem reduceret.* *m Philippus III. Hispaniarum Monarcha inuictissimus, varijs litteris monitorijs,* *posito Religionis excidio, impendenti inculcabat. Principes quoque Electores intra* *rs Romani Imperij viscera, cuius ipsi bases & columnæ essent solidissimæ, cum Ser.mo* *ce Bauariæ vnanimiter illam Electionem tractandam sumebant : Ordines omnes*

Imperij saniores in illum finem excubabãt: at incassum omnia ceciderunt, quæ pro salute & incolumitate Imperij consilia status Catholici agitabant, adeo vt indicta Imperij comitia soluerentur, & sine fructu coacti ordines Principesque, domum quisque suam, repeterent.

Quod ergo iam ante in diuersis conuentibus feliciter ex voto perfecerant, vt illorum machinamentis alij Ordines cederent, & dolosis artibus eorundem locum darent, idem in Legitima Electione Ferdinandi resumpserunt, quam si irritare nequiuissent, saltem crebris dilationibus dissoluere & procrastinando tædium inijcere Electorum animis contendebant. Et quidem sua opinione non fuissent frustrati, nisi admiranda trium Electorum Ecclesiasticorum fortitudo animi, Bohemiæ Regis constantia, & Saxonici Electoris æquitas obstitissent. Tantum versuris suis, amphibologijs, prætensis, fraudibus, simulationibus, laruis veritatis profecissent. Verum non est consilium aduersus Dominum: etsi in cariosæ suæ caussæ subsidium rebellium Bohemorum nefaria grauamina, nequidquam quæsiuissent.

Dein vero cum non alius quam Austriades eligendus videretur, (cum qua familia æterna odia & plus quam ciuilia æmulis intercederent) omnibus modis impedire, obicemque interponere nitebantur. Suspecti namque plerique Austriaci illis extitêre iam inde à Carolo V. ob religionis Catholicæ zelum, ob formidabilem potentiæ magnitudinem, ob continuam Cæsarum successionem, quam hæreditariam perperam ad conflandam inuidiam interpretabantur, quasi è diametro cum Bulla aurea sanctionibus depugnaret. Insignis color, sed fucatus, qui iustitiæ spongia detersus, omnes eorum technas nudauit. Catholici Principes specioso nomine salutantur, & proponuntur, quos Imperio capessendo idoneos iudicabant, & quidem aliquot, vt commissis inter se illius religionis Principibus illarum turpi diuisione vires exhaurirent, & suarum secessionum infausta consilia ipsi, ad obtinendam tyrannidem stabilirent.

Ser.mus Bauariæ Dux Maximilianus ardentissimis votis ad Imperij coronam vocatur & inuitatur: verum admirabili exemplo, & modestia singulari renũciat fauentia istis Princeps incomparabilis, tanto fastigio, Imperij & Ecclesiæ Catholicæ commune bonum anteponens. Christianissimus Galliarum Rex varijs illicijs, suadelaque mellea eodem traducitur: sed maluit ille Regno suo hæreditario potentiam suam coercere, quam in alieno solo iniustæ rebellium causæ patronum agere. Aliorum Principum animi quoque explorati, quos non modo conscientiæ integritas, fœderum sacrosancta Religio, pacis publicæ obseruantia, sed cumprimis periculosissimus Germaniæ Imperijque status, à tam præcipiti Regni acceptatione reuocauit.

Nihil in lucem eruperat, sub pectore adhuc & in penetralibus consilia coquebantur: vomica nondum maturuerat, cum mora impatientes ipsimet eandem incidunt, saniemque execrabilem, scilicet bellum Bohemicum, & defectionem pessimam, extrudunt, vt, quia animi Electorum & suffragia in Ferdinandum ferebantur, Electionem eiusque progressum interuerterent, Principem nouerant prudentẽ, zelosum, Catholicum, in domo Ba-

nio Bauarica . insigni & nunquam interrupta Catholicæ religionis in Germania officina, cum patruelibus educatum, & cumprimis auitæ fidei tenacem, quem suo ingenio metientes reuulsis conuentis mutuis, sanguinis sitientem esse sibi persuadebant, (quæ sanè atrocissima iniuria erat) & timebant, ne in Germania id faceret, quod in suis hæreditarijs prouincijs effecisset, vbi religionem veterem, proscriptis nouellantium sectis voluit obseruari. Exemplo non nouo, cum Comites Palatini, Comites prouinciales Hassiæ Cassellani, alijque non pauci S.R. Imperij Principes, Comites, Barones, Domini, nobiles Catholicos in totum exegissent, bona possessionesque Ecclesiasticorum occupassent, prophanassent, diripuissent, sibique, velut Idololatriæ papisticæ, si Dijs placet, vindices, contra fas vsurpassent, & damnatam in Imperio, neque vnquam approbatam in comitiis vllis Imperialibus sectam inuexissent. Quin immo cum diuino cultu ac prisca religione non secus procederent, atqui mangones facere solemne habent, qui ex equorum permutatione repetita victum sibi conquirere solent. Palam est in vno Palatinatu, nostra memoria, quater religionem esse mutatam.

Neque ignorabat Ferdinandus, vnde ista tragœdia initium sumpsisset. Nimirum comederant patres vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerũt. Pusillanimitas, conniuentia, indulgentia nimia, & metus periculorum Cæsarum præcedentium, dedit occasionem subditis, vt ad legitimorum Dominorum exterminium inflato rebellionis classico, Caluinianis dogmatis impregnato conuolarent. Quid quod ipsi Catholici & Augustani Principes præsertim Electores turbarum ciuilum & castrensium insolentes, togati non armati permiserint, vt prouinciæ, ciuitates, nobiles Comites &c. alijque feudatarii religionem orthodoxam cum nupera Caluinistica cõmutarent, nec de illa inconstantia leuitateque ad tribunalia in Imperio trahrentur: certè, immedicabili pene vulnere posterorum, pro quibus seruandis commodissimè & iustissimè iuris præscripta remedia potuissent desertoribus admouere. Nam potentia magnitudine, subditorum numero, prouinciarum amplitudine longè præcellebant. Quamobrem ergo tot ex ista inuidia & Proserpina Caluiniana officina, intoxicatæ fabricantur sagittæ, & in innocentissimum Regem contorquentur, cum suo exemplo identidẽ repetito ad oculum, quid agendum esset, ostenderint? Cur odia tot vastitatibus & cladibus stipata & adipata, in Ferdinandũ euomuntur, adeoq; iniustè illius domus augustissimæ excidiũ indicta caussa captatur? Cur iniustissimis armis subditi ex inani metu sumptis à legitimo hærede, Domino ac Rege electo, proclamato, vncto, coronato, inuestito, per iuramentum fidelitatis acceptato, alienantur, & in rebellionem adeo lamentabilem detruduntur? Neque hic tamen eorum funesta consilia substiterunt, longius progressa, Vngariam, Austriam, Morauiam. &c. populatrice flamma corripuerunt.

Non aliter autem id perfici potuit, quam ad Sulthanum Turcicum, velut eorum in Religione & fidelitate contribulem confugerent, & Calua Erynnidos cornu tumultuoso, à septemplicis Istri ostiis & Euxini maris infidis vorticibus patronos ac defensores suarum coniurationum arcesserent. Septimontius Regulus ad coronam Hungaricam

contra fidem datam, contra iusiurandum euocatur, & quod execrabilius est, Tartari & infideles ad socialia arma exciuntur, dummodo infestis signis & armis regna, ducatus, dominia Austriacæ domus, & Ferdinandi cumprimis, subiuganda, subhastanda & euertenda susciperent.

Illa facies erat Imperii, illa in legitimos dominos, Regem & Archiducem Ferdinandum consilia, is armorum apparatus, & societates bellorum, cum ad iustam defensionem orthodoxi Principes accingerentur, pro aris, pro focis, pro incolumitate ac salute Imperii pugnaturi, si lacesserentur & impeterentur: neminem nisi prouocati, oppreßique offensuri, & capite deminutum Romanum Imperium, nouo ex Principibus Imperii delecto ac legitimè surrogato capite viuacißimo pristinæ integritati restituerēt, curaturi. Itaq; primus Archicancellarius Moguntinus, ex Electoralis dignitatis munere (quandoquidem fama vulgi de corio Catholicorum iam luserat: de aris, focis, fortunis illorum conclamarat, de Cleri, de Religionis extremo excidio sententiam tulerat) contra nitendum immortali fortitudine, Coelectorum prudentißimis iuxta ac cordatißimis nixus consiliis, decerneret. Itaque in Vrbe electioni antiquitus destinata diem dicit, Francofurto videlicet, vt tres Archicancellarii, ipse Germaniæ, Galliæ, Italiæ, Bohemiæ Rex, Palatinus, Saxo, Brandenburgicus, omnes Electores ad XX. Iulii, stylo nouo, lectis intimationis litteris, vt in Bulla vocantur, sese ibidem sisterent, & sacrosanctis Augustorū sanctionibus, Electionem Creationemque Regis Romanorum rite præscribentibus, examußim responderent. Venere tres Archicancellarii in persona, reliqui seculares Palatinus, Saxo, Brandeburgicus, per legatos. Restabat Rex Bohemiæ, lapis offensionis, Austriadum & Bauarorum sanguis Serenißimus, vt cū aliis Principibus Coelectoribus concordibus suffragiis Regem statuerent. Hic excelsæ indolis, & imperterriti animi Princeps, non putabatur aduenire posse, quod iustißimam absentiæ causam cum fortißimo Saxoniæ Duce potuisset prætexere, ex Bohemorum, affiniumque populorum coniurationibus clandestinis, ac rebellionibus manifestis, quibus repellendis & dissoluendis ipsemet incumbere cogeretur, petitam. Dein quod populari rumore paßim percrebuisset, diem XX. Iulii ab Ill.mo Germaniæ Cancellario præfixum, Regiæ Electionis diem non futurum, sed alium quempiam esse indicta conuentionis Principum Electorum Rheni diem, siue diætam vulgarem Imperii, in qua de Bohemorum motibus consultandum esset, & tanto vulneri remedium adponendum. Vnde duo seculares Electores, Palatinus & Brandenburgicus, limitatum mandatum, quasi Rex Romanorum eligendus non esset, suis Legatis seu commissariis, strictim dandum, litterisque ad Saxonem Electorem missis, eodem pertrahendum esse iudicarunt. Is verò expensis rationum momentis, & plebeia fama constantia adnitente, ex templò Principibus morem gessit, & Legato suo tractandi agendique potestatem, quoad Electionem Regis Romanorum restrinxit, & eo pacto instructum ad Comitia transmisit. Interim in euentum alii duo, si secus non possent, in amplißima forma mandatum Regis eligendi etiam contulerunt. Qui profectò obex haud vulgariter Electorum animos potuit percellere, & imprimis Bohemiæ Regis accessum demorari.

Accede-

Accedebat seditiosus alius rumor, qui sanguinis fundendi præsagus erat à calonibus, lixis, aliisque maleuolis disseminatus, quod Principes Electores capiendi, & intra mænia Francofurtensia coercendi essent, nequaquam Principum Imperii, nedum Bohemiæ Regem, nisi quem ipsi vellent, ad gubernacula Imperii tractanda moderãdaq; adhibere possent. Prius Electionis negotium cum confœderatis Principibus, & vrbibus imperialibus illis adhærentibus communicandum, priusquam ad illius executionem gradum facerent. Cæterum cum facinus illud nouum, & inauditum in Imperio esset, & vnus Principum confœderatorum, vti & pleraq; Imperii vrbes, facti illius turpitudinem exhorrescerent, illorum machinationes in spongiam incubuisse, spargebatur.

Adauxit timorem, frequentium militum Batauicorum per VVetterauiæ confinia transitus, qui diuersis alis & turmis circum circa magno numero volitabant, vt hostilibus conatibus in speciem occasionem præberent, quod tum pro Bohemis rebellibus ad signa euocati essent, tum in Palatinatu per statiua distribuendi, vt limites & viscera illius ab improuisis hostibus defensarent. Paret nihilominus Ferdinandus Bohemiæ Rex infractus, aduersum pericula sequiturq; Archicancellarium, hostium rebelliumq; terras inuicto animi robore peruadens, equitum armatorum ala vnica, quinquaginta Bandiloriis constante stipatus: verum calestibus auxilijs Numinis summi emunitus, (quod tota vitæ suæ periodo ab infantia in iustitia & sanctitate timere didicit) vt Religioni orthodoxæ cumprimis, dein inclinanti Imperio succederet sustentator. Prodigiosa magnanimitatis facinus plenitudinem regiæ potestatis in tam manifestum discrimen offerre. Certe cuilibet prudenti hic palam subolet, quam facile in herba potuisset opprimi Rex ille, ni diuina misericordia eundem ab atrocibus aduersariorum assultibus, adeo magnæ animæ prodigum, seruauisset. In quam sententiam iam ante consilia cæperat, adhuc Viennæ agens, postea quam litteris Archicancellarii ad Comitia fuisset Francofurtum euocatus. Consiliariorum pars altera dissuadebat, nimirum eundum S. a M.[ti] non esse, quod Bohemiam, Morauiam, Austriam &c. esset desertura; quæ per absentiam ipsius, defectionem rebellionemq; suã essent firmatura, & irreparabili diuortio ab Austriaca domo discessura. Deinde, neq; temere hostibus credendũ esse, quorũ territoria & limites Rex trãsiturus hostili aut insidioso mucrone peti posset, neque vllo modo admittendum, tantum verticem, ex quo incolumitas Austriacæ domus & Maiestas propemodum dependeret, iniuriis coniuratorum & periculis obiectare. Vicit tamen pars altera, eundum esse, cum eius præsentia imprimis necessaria, nihil non boni in Comitiis esset effectura; quam adeo Orthodoxi Electores concordibus animis expetiissent, tum quia tanta tamque manifesta Imperij capessendi occasio affulgeret, tum quia paribus consiliis in remedium rebellium possent inquirere.

Iam vero non tantum in via; verum in termino quoque viæ, prodigiosæ illi insidiæ & armentata manus incubuere. Francofurtum ad Mœnum, sacri Romani Imperij libera ciuitas, cuius hinc legibus & statutis obnoxia, illinc vero Hansæ Balthicæ fœderibus deuota, ignorabat, quid in dissectis diuulsisq; Principum studijs consilij capesseret? quo noua pacta.

pacta cum Principibus Ferdinando infestis inita incautum abriperent? quaquauersum hostes ex amicis se facturam timebat. Itaque in proximo militem, Centuriones, Chiliarcham cogit copiosiores, quam aliis regalibus Comitiis consueuerat, & quidem in Palatinatu ab Electore exauctoratos: equitem nonaginta capitũ ad stipendia trahit, præsidium vrbi firmandæ fortissimum imponit, quasi hostem in Ferdinando, non Electorem esset admissura. Ex quibus militibus cum petulantioris splenis quidam essent, & miserabilem fortunam domesticam in ampliorem commutatum iri sperarent, maligni rumores emanabant, qui plebeciorum animos primo, mox potentiorum occuparent, validi satis, mox ad fore Bohemiæ Regem cum aliquot armatorum millibus, ad obsidendam vrbem, & expugnandam. Patricios, Curiam, Senatum idem occupat rumor, ac periculi securos percellit omnes. Senatus coit, sententiæ variant, metus ingrauescit, ad arma concurritur, cumque interea Ecclesiastici Electores suorum equitum turmas ad excipiendum Regem emitterent, conclamatur ad arma, quæ non sine innocentis sanguinis effusione expiata ac posita fuêre. Trepidatum falsæ famæ vitio vrbe tota, ciuibus ipsismet ac præsidiariis iustam defensionem parantibus.

Viso autem inermi Regis comitatu, rhedis pauculis, & equitibus, etiam infra Bullæ aureæ præfixum singulis Electoribus ad Electionem euntibus, numerum, tumultuosos milites & seditionis sanguinariæ capita facti sui pænituit, non quod tam seditionem illam excitassent, quam quod sua spe deiectos se esse dolerent: Cumque Moguntinus Elector Senatum officii sui & iuramenti commoneret, illico in auctores inquisiuit, & comprehensos Ser.mo Regi stiterunt, quos ille pro ingenita clementia, licet M.tis rei essent, enormi supplicio subduxit. Et licet plerique eorum atrocibus blasphemisque criminationibus suam M.tem petulantissime vulnerassent, carceribus exemptos, & impunitati donatos pristino gradui, ne quicquam motus, restituit: adeo innocentissimum pectus Regis iniuriarum obliuio exornarat.

Neq; tamen hic periculorum modus factus, longius etiamnum exspatiata, excidium regnorum duorum, Vngariæ & Bohemiæ, cum attinentiis, & infamem abrogationem comportabant, vt Electoratus titulo ac iure spoliatum ex septenario Electorum velut immerentem, expungerent. Id virulenta Bohemorum rebellium consilia, id complicum malesuada molimina portendere, id causidicorum infames schedæ, & corriualium ambitiosæ substructiones præscribere, quibus Ferdinando singulari Dei prouidentia electo & coronato, reuulsis omnibus iustitiæ & honestatis repagulis, partum Bohemiæ regnum abrogare, mediis in sacro Romano Imperio hactenus inauditis, quamdiu illud penes Germanos stetit, inuictum, stipulati fuerant & coniurarant. Nimirum mens aduersariorum erat, per Bohemos illam telam pertexere, quam ab annis quinquaginta aduersus sacri R. Imperii Proceres, & religionis orthodoxæ defensores, ante & inter Imperialia comitia, iniustissimè fuissent exorsi, quoties de Rege Romanorum, exulceratis istis temporibus deligendo in commune consulendum erat. In quibus nunquam orthodoxorum Principum, & Augustanorum morem gerere voluntati dignati sunt, nisi prius grauamina

mina sua sustulissent. Quorum discendorum si quem cupido habet, is libellos de eorum grauaminibus ori, scripto, typis mandatos euoluat, & Principum Catholicorum responsa, quibus se magis grauatos esse, fuisseque demonstrant ad oculum, quam turbulenti illi fingere queant se vnquam læsos fuisse, si tamen læsi sunt.

Alebatur in spem Imperij Ferdinandus, nec aliò, si Austriacus eligendus esset, deriuari suffragia ferè poterant, cum Maximiliani II. linea, excepto Archiduce Alberto Belgii Principe, deficeret improles, dein Archiducali, Regia, Cæsarea tam Bauarica quam Austriaca insigniebatur origine, à matre & coniuge inculpatissimis heroinis, stirpis Bauaricæ illustris, parentela, affinitatibus, ac sanguine monarcharum fruebatur, Religionis Romano-Catholicæ zelator erat & defensor acerrimus, absque præiudicio tamen & vulnere Augustanam confessionem amplexantiū, pacificationis in Religionis negotio & fœderū pactorū tenacissimus, nullius Principis etiam Caluiniani persecutor, nullius subditi cōfarranei oppressor (cuius tamen per summā iniuriam, & propudiosum mendaciū reus, ab rebellibus, agebatur) quamobrem charus omnibus Principibus, & Imperii ordinibus Orthodoxis erat, hūc nullo modo tolerare, huius generis famam, sanguinem de medio tollere, & æterna nocte sepelire, vel in ordinem plebeium, si aliter nequirent, redigere ad minimū, omni contentione connixi sunt. Hic sudes, hic scopulus Ferdinādus, adeo hūc in vilipendium deducendum, lacerandum iniuriis, Regia, Electorali, aliisque titulis dimouendum, vicinorum Optimatū & Principum bellis exhauriendum sumerent, quia nimirum Austriacus erat, quia Catholicus, pacificus, iustus, timens Deum & recedens à malo, quò pulcherrimum eius int[illegible]natumque ad Romani Imperii fastigium, callem pestilentissimis artibus & technis obstruere & inædificare isthac rebellione, & suffragii iure in Comitiis Francofurtensibus destituere possent. Verum æternæ sapientiæ Numen inuariabile pro sua inexhausta Clementia consilia hostium interuertit, & meritissimum Principem, à fortuna, Natura, Gratiæ donis & thesauris instructissimum imperiali diademate elusis æmulis donauit, cui medullitus acclamamus Ferdināndo II. Augusto, piissimo &c. Vita & Victoria. *Beneuolus Lector Electionem & Coronationem eius legitimas percurrat, & prius Arborem eius Gnealogicam, & Maiorum virtutes euoluat, num vti sanguinem illorum serenissimum acceperit perinde cum prouinciis & regnis amplissimis succum ac lineamenta animorum generosè deriuarit. Tres rami augustissimæ arboris iam nunc supersunt eiusdem domus ac familiæ, Hispanica, Austriaca, Styriensis. 1. Philippum Monarcham cum numerosa prole extulit. 2. Augustos quatuor, Ferdinandum I. Maximilianum II. Rudolphum. II. & Matthiam I. mortuos, item Archiducem Albertum improlem etiamnum superstitem. 3. Ferdinandum II. Augustum, posteritate per Dei clementiam, donatum quorum dies sint vt dies cœli, oramus.*

HISTORIA ET ARBOR GE-
nealogica Auſtriaca.

FERDIN. II. Rom. Imp. ſemper Auguſti.

LIBER I.



Erdinandus D. G. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ &c. Bohemiæ & Vngariæ Rex coronatus ex Auguſtiſſima Auſtriadum domo deſcendit, quâ nulla vnquam in terris extitit domus, ſanguine nobilior, & Regia ac Imperatoria Maieſtate ſublimior. Quam ſi altius velim euoluere, & ad prima incunabula pedem efferre, vtique non erit huius loci neque temporis, neque mearum virium intra iſtas anguſtias coercere. Omiſſis itaque vetuſtiſſimis arboribus Regum Franciæ, item Poloniæ, Vngariæ, Bohemiæ aliorumque Regum Eccleſiæ ſtirpibus, in quas Auſtriacorum horum Maiores per connubia & affinitates ſunt inſerti feliciter, à Rudolpho I. initium faciam, quod is primus familiæ conditor & fundator excellentiſſimus, Auſtriam victo, interemptoque in acie Otthocaro poſteritati ſuæ vindicarit, eamque in hanc Maieſtatem nunquam ruituram non tam armis quam virtute & religionis conſtantiſſimo zelo extulerit, quam poſt omnes, & ſanguinis genuini traduces vt accepere fideliter, ſic ad vnum omnes, vſque in hunc præſentem Cæſarem ſeruauere inuiolabiliter.

Rudolphus I. Magnus. 1216

Itaque Rudolpus I. Romanorum Imperator ſemper Auguſtus natus 27. Aprilis A. C. MCCXVIII. ex parente Alberto, qui *ſapiens* vulgo vocabatur, & Heduige Comitis Alſatiæ filia, vnica ac hærede Landgrauiatus. Tyrocinium militiæ apud Fridericū II. abſoluit, varia bella adhuc priuatus, aduerſus Germaniæ dynaſtas interregni tempore victorioſus ſemper geſſit, cumque XX. annis Imperium caput non haberet, vnanimi Electorum omnium voto conſenſuque Francofurti abſens, & Baſileam obſidione cingens, in Regem Romanorum eligitur 29. Septembris Anno Chriſti 1273. & ab Electoribus illicò Comiti Idelio Friderico demandatum, huius Electionis legatum ſuſtinere, vt ipſi Rudolpho iam tum Baſileam valida manu & obſidione prementi nuncium perferret. Qui perniciſſimè Baſileam aduolans, ſiue ad pontem Arolæ, vt aliqui volunt, ſummum in terris faſtigium concordi Electorum ſuffragatione Francofurti ſibi abſenti raro exēplo collatū eſſe, ob pietatis, fortitudinis ac prudētiæ militaris encomia, quibus omniū ora impleſſet, nunciauit, procurante cumprimis VVernero Archiepiſcopo Moguntino, ex comitibus à Falckenſtein, tum quod illi inſigne

Comes Idel Frid. Zoller. legatus ad Rudolph. 1273 Imp.

signe beneficium inter bellorũ & latrociniorum vastitates, quibus Imperium XX. annis continuis capite destitutum vexabatur, præstitisset, tum quod Sacerdos, ille, cui aliquando equum Comes dederat, vt cum V. Sacramento ad infirmum iturus, sicco vestigio exundantes torrentis aquas transmitteret, in aula Moguntina Archiepiscopo à sacris confessionibus esset, & incomparabilis Comitis virtutes identidem recenseret. Ad quæ obstupefactus Rudolphus, tandem post multa verborum rationumque commercia, humeros tanto oneri subiecit. Ex qua Zölleranorum Comitũ vetustissimorum familia, hic annus 1621. S. R. E. Cardinalem 10 Ianuarij à Paulo V. Pont. Max. creatum vidit Germania, illi cognominem Eiteliũ Fridericũ, Præpositũ Metropolit. Coloniensẽ, Magdeb. & Argentinẽsem, gemmam Sacerdotum & speculum virtutum omnium, tali apice sanguinis iuxta ac meritorum censitione dignissimum. Rudolphus autem ex illo tempore collapsum Imperium armis, iustitia, legibus, religione condere ad miraculũ cæpit, & erigere, *a* vti alibi tractaui, Fertur eius apophthegma iam Imperium adeuntis, mandatum seuere ac inculcatum aulicis & satellibus, teste Siffrido. *Date obsecro hominibus me accedendi locum & facultatem. Non enim ideo ad Imperium euectus sum, vt hominibus in arca præcludar*, innuens potentioribus, perinde ac pauperibus, sui copiam pro administranda iustitia, faciendam esse. Anno Christi 1278. victo in acie Ottocaro, & iam multo ante Neapoli vltimo duce Austriæ Friderico, per Carolum Andegauensem Ludoici sancti Franciæ Regis fratrem, iam tum Regem Siciliæ, securi percusso Austriam accepit, quam Alberto filio primogenito, suo & imperij nomine in Comitijs Augustanis 27. Ianuarij, anno Christi 1282. transscripsit cum Stiria, Carniola & dominio Vindorum Marchæ: Meinhardo secundogenito Carinthiam, comitatum Tyrolensem, & Marcham Taruisianam. Tertiogenito Rudolpho ducatum Sueuiæ, Landgrauiatum Alsatiæ & Ergouiæ comitatum &c. Tandem plenus annorum laborumque, postquam Erphordiæ Albertum filium successorem designare studuisset, Frãcofordiã proficissens, in itinere febri corripitur, & Geimershemiũ delatus ex illius malignitate extinguitur ipso die Diuisionis Apostolorum 15. Iulij. Ab Henrico VII. Spiram delatus, iuxta Adolphum Nassouium sepelitur. Vixit annos 73. menses 5. d. 15. imperauit annis 18. Ex Anna Alberti Comitis Hohenburgici ad Nicrum filia 13. liberos sustulit, sex mares, septem fœminas. Ex quibus quinque regio diademate eminuerunt. Albertus, Rudolphus Bohemiæ Rex, veneno sublatus, Catharina vxor Ottonis Bauari in Regem Hungariæ electi. Iutha VVenceslao Regi Bohemiæ Ottocari filio nuptui tradita, & Clementia Carolo Marcello Neapolis & Vngariæ Regi coniugata.

Comes Eitel. Frid. S. R. E. Cardinalis.

a In Sceptro Regali. cap. 2.

Clementia Rudolphi singularis.

Quomodo hæreditatem suam & feuda Imperij inter filios distribuerit.

Albertus I. filius successit, postquam Exarchatum Austriæ Anno Christi 1282. à Patre in Comitijs accepisset vxor Elisabetha, filia Menardi Ducis Carinthiæ, Comitisque Tyrolis ac Goritiæ. Ex qua viginti & vnũ liberos suscepit, quorum duodecim ad iustã ætatem solum peruenerunt. Cum defuncto Patre Principes Electores Francofurti de nouo Imperatore eligendo Comitia instituissent, Imperij potiundi spe, cum exercitu VVinsbemium vsque peruenit, at Moguntini calliditate cum prælatum Adolphũ Nassouium intellexisset, domum reuersus, Andreæ III. Vngariæ Regi filiam Agnetẽ elocauit, & paulo post Viennæ in palatio suo veneno petitus alterius oculi visũ perdidit. Anno Christi 1298. Moguntiæ contra Adolphũ Cæsar declaratur, cum quo in campis Vangionum inter Monasterium Rosenthalium & Geillenheimiũ pagum sex horarum spatio congressus, vita & Imperio simul deiecit. XVI. à prælio die Francofurti PP. suffragijs concordibus denuo eligitur, & Aquisgrani XXII. Augusti coronatur Imperij anno X. à Ioanne Rudolphi fratris filio, suo nepote & coniuratis, quasi illi paternã hæreditatẽ reddere differret, in ripa fluminis Rusæ, quod traijcere volebat, nefarie perimitur, ac Vettingæ sepelitur, quem effossum Henricus VII. Imperator Spiræ rursũ inhumauit, in Mausoleo prope Patrem, & vno palmo ab Adolphi sepulchro distante. Hoc Imperante, Templariorum ordo extinctus est. Tria hominum genera impense coluit, pudicas fœminas, deuotũ Clerũ, strenuos milites : delatores & bilingues *exosos habuit. Vxor Elisabetha Imperatrix prudentissima, illustre cœnobium Cæsaris manibus parentandis exstruxit, Campum Regium dictum, quæ perspicacitate suâ Salis fontes prope Gemundam, eiusque coquendi rationes ostendisse scribitur.*

Eligitur cũ Adolpho Nassouio Imperator. *Victoria Alberti I.* *Cæditur à fratris filio.* *Cœnobiũ Campum Regiũ pro Alberto fundatur.*

1. Filius Rudolphus, Rex Bohemiæ factus, veneno tollitur, sine liberis moriens.

2. Fridericus tertius Rex Romanorum & Imperator, cognomento Pulcher, Henricum VII. Imp. Romam cum equitatu deduxit, & ab eodem bonis Ioannis Parricidæ donatus, ad Imperium illo mortuo aspirare cœpit, maximorum Europæ Principum amicitia, affinitate & cognatione fretus. Itaque Bonnæ in controuersiã Electorum à duobus Coloniensi & Palatino electus, Anno Christi 1314. 5. Octobris, (vti solidissimè pro Ludoico Cæsare euincit Heruatus) inauguratur, & à Ioanne XXII. Pontifice confirmatur. Ludouicus vero Baioariæ Dux quinque votis Francofurti. Quare cũ illo de Imperio decertans aliquoties æquo Marte commisere, tandem Anno Christi 1322. inter Muldorffium & Dornspergam infestissimis armis concurritur, & victus captusque Fridericus triennio in custodiâ detinetur, ac Leopoldi fratris auxilio, certis conditionibus cum Ludoico pari potestate & iure imperaturus restituitur libertati, diplomate super hoc erecto Monachij, die Iouis ante Festum Natalis Domini, Anno Christi 1325. vti & ab eodem Ludoico in Regem Romanorum confirmatur, alto diplomate dato Vlmæ, Anno Christi 1326. Obijt ex dysenteria in arce Guttenstein, sepultus in Cænobio Carthusianorũ Murbachij, in sylua Viẽnensi, quod ipse cõdiderat, Anno Christi 1330. hausto vt dicitur philtro cõtabescens. Princeps magnanimus, non tamen fœlix. Ex

Vincitur & capitur à Ludoico Bauaro, & pari potestate imperat.

Isabella

Isabella Iacobi Iustis Regis Aragonum filiâ sustulit duas filias, Elisabetham desponsam Ioanni Regi Bohemiæ, præmortuam matrimonio, & Annam Regi Poloniæ, ante diem quoque nuptiarum decedenti: quæ postea Ioanni Carinthiæ Comiti nupsit, quo orbata Viennæ in S. Claræ à se extructo cœnobio monasticen religiosissimè professa est. Anno Christi 1344. Ex Cunigunde filia, vt putant aliqui, Ludouici Cæsaris Fridericum & *Leopoldum in pueritia extinctos.* *S. Claræ cœnobium Viennense erigitur.*

3. *Leopoldus I. Gloriosus, seu Gloria militum auratorum dictus, quod alios Principes exercitu militari antecederet. (fuit enim corpore valido, & ad rem militarem tam animo quam arte instructo. Iuuit Henricum VII. in Italiam ad diadema euntem, Guidonem Turrianum Ducem Mediolanensem Cæsaris iter præcludentem vicit, & Præfecti Longobardiæ titulum tulit. In Heluetios, Vndervvaldenses Vrios, Suitenses regnum Austriacum excutientes inauspicato, temerè se Alpium faucibus committens pugnauit, vt amisso flore Nobilitatis ipse ægrè euaserit, & inde Anno Christi 1316. cœpit pagorum istorum confœderatio, & Reipublicæ Heluetica origo. Friderico III. fratri, fideliter contra Ludouicum IV. belligerantem armis animisque adstitit. Ex Catharina Sabaudâ duas filias Catharinam & Agnetem sustulit. Obiit ex febri Argentinæ in ædibus Ochsensteinianus Anno Christi 1326. cum coniuge in Monasterio Campo Regio dicto, sepulti. Adeo Fridericum fratrem amasse dicitur, vt à die captiuitatis eius nullum vnquam lætitiæ signum dederit, & cum Bauaris bellum in an. 1325. duxerit, licet sæpe infœliciter, denique vt fratrem vinculis educeret, summa contentione connixus fuit. Illustre fraternæ affectionis testimonium.* *Leopoldus I. Austriacus, gloria militum auratorum.* *Rarũ fraternæ dilectionis exemplum.*

4. *Otto I. cognomento iocosus & facetus, defunctis fratribus, cum Alberto II. fratre ditionum Austriæ gubernacula suscepit, & quia Elisabetham Stephani Bavariæ Ducis filiam in thalami sociam asciuerat, bello ciuili Friderici fratris & Ludoici IV. Cæsaris abstinuit, cuius nuptijs pax inter Austriacos, & Bauaros facta Patauij, A. C. 1312. confirmata est. Hortatu tamen Ioannis XXII. sub reditum Ludouici Cæs. ex Italiâ Columbariam obsidet, sed interuentu Ioannis Bohemiæ Regis, pactis Ottoni in belli sumptus aureorum nummûm XX. MM. & oppigneratis Schafhusio, Reinfeldâ, Neoburgo & Tiguro (pro quo tamen reclamantibus Tigurinis Brisacum accepit) quatuor Imperij ciuitatibus, pax inter vtrumque facta, firma & fida constitit. Postmodum Vngaris Bohœmisque bellum intulit, quod à Ludoico Cæsare Carinthiam aliasque ditiones accepisset, cui & ipse Cæsar se seiunxit, quod Neostadij compositum fuit, & mutuis connubijs pax firmata. Obijt A. C. 1338. in Nouomonte Bernardinorum cœnobio à se extructo, ibidemque humatus, cum vtraque coniuge, quia Annam Ioannis Lucemburgij Bohœmiæ Regis filiam, Caroli IV. Cæsaris germanam sororem duxit, mortuâ Bauarâ. Prior dedit illi filium Fridericum III. (cui ab Anglo desponsa filia,) sexdecennem extinctum, A. C. 1344. Et Elisabetham Eduardo Angliæ Regi, ante nuptias defunctam. Posterior Leopoldum in infantia mortuum.* *Pax inter Austriacos & Bauaros coalescit.* *Oppugnat Bohemos.*

5. *Henricus I. Placidus priuatus vixit Moguntiæ, datus à Ioanne XXII.*

coadiutor Archiepiscopo Moguntino, cui contra Gibellinos à fratre Friderico cum exercitu auxilio missus fuit, & ne ibidem Imperij iura labefactaret, Henricum reuocat, aliam caussam discessui suo prætexentem, ne Papam offenderet. Cum Friderico Rege captus Ioanni Bohemiæ Regi traditur, & redditis aliquot Morauiæ oppidis, lytri loco altero post Leopoldum anno decedit, videlicet Anno Christi 1327. Corpus in Ergouiam delatum in monasterio campi Regij est sepultum.

Captus cũ Friderico III.

6. Albertus II. stemma propagauit.

7. Agnes II. Andreæ III. Regi Hungariæ nupta, Anno Christi 1291. iuuencula admodum maritum amisit, à cuius obitu exemplari cum sanctimonia in monasterio Konigsfeldensi, campo Regio, reliquum vitæ ad annum vsque 80. ætatis peregit, ibidem cum matre sepulta.

Anna Hungariæ Regina sanctimonialis.

8. Catharina I. Henrico VII. Romanorum Imp. in Italia agenti desponsata, & Ticinum vsq; deducta, at Cæsare ante thori solemnia veneno sublato, nupsit Carolo Duci Calabriæ, Roberti Regis Siciliæ filio. Sepulta Neapoli, in Æde D. Laurentij.

9. Isabella I. nupta Friderico III. Lotharingiæ Duci

10. Margaretha Theodorico IX. Cliuiæ Comiti.

11. Anna I. nupta Hermanno Marchioni Brandenburgico, dein Henrico VI. Duci Vratislauiensi, qui Ducatum illum Ioanni Regi Bohemiæ transcripsit, Vratislauiæ sepulta.

Ducatus Vratislau. Silesiæ Bohemiæ accedit.

12. Gutha vel Iutha, alij Bonam vocant, nupta Comiti Oetingensi Ludoico.

Albertus II. fratrum minimus, *Sapiētis* nomen tulit, item *contracti* à vestigijs hausti veneni, quod fraude cuiusdam medici in neruos diuerterat. Canonicum Passauiensem & Viennensem priuatus egit. Fratribus sine hæredibus defunctis superstes solus Apostolica auctoritate sacris, quibus initiatus, exsoluitur, & in Augustæ stirpis propagationem incumbit, ducta Ioanna filia Vdalrici vltimi Ferretarum Comitis, mortui Anno Christi 1324. succedentibus Austriacis, qui alteri sorori Vrsulæ VIII. ducatorum millia numerantes, comitatum illum cum tota Suntgouia & alijs ditionibus Ferretanis adierunt. Anno Christi 1350. Ioannes II. Comes Habspurgensis stemmatis Lauffenbergici, agnatus, Tigurum nocte quadam intempesta occupare nititur, sed re detecta à ciuibus partim profligati, partim cæsi, & ipse Comes captus est. Albertus itaque clientis & agnati restituendi gratia, Anno Christi 1351. bello Tigurinos adoritur, qui pacto cum Lucernatibus Vrijs Suitijs & Vndervvaldijs fœdere non incautè rem agunt: Austriacos ad Tatuillam fundunt, Arcem Habspurgicam fere demoliuntur, Glaronam & Tugium sui iuris faciunt, frustra coram Carolo IV. Cæsare expostulante Alberto. Pax tamen Anno Christi 1355. Caroli IV. auctoritate in Comitijs Ratisbonensibus ita coaluit 24 Iulij, vt confœderati saluis eorum fœderibus de-

Ferretarũ comitatus Austriæ accedit. Tigurum Heluetiorum pagus confœderatis iungitur.

bus debita solitaque obsequia Austriacis præstarent. Et hic Heluetiorum progressus. Hanc pacem Albertus sequenti anno confirmauit, & fœdus in quinque annos cum ijsdem pactus est, & hoc vnum bellorum eius. Alterum cum Ioanne Rege Bohemiæ gessit, ob comitatum Tyrolis, quod nuptijs filij Rudolphi cum illius nepte sopiuit. Tertium Venetum, ob arces aliquot & castella in Marchia Taruisiana sibi prærepta, quod Principum atque Regum conuentu Viennæ Anno Christi. 1357. est compositum. Quartum Wirtembergicum, cum Eberhardo comite, suis cognatis Alberto & Rudolpho auxilio veniens Comitibus in Habspurgh & Hagerloch, quod totum negotium pacifice ad Cæsarem positis armis appellando, transegit. Gemmingensе Cœnobium Carthusianorum iam ante cœptum perfecit. Obijt Anno Christi 1358. 22. Iulij, ibidem cum coniuge sepultus. Rappervvillam totumque illum comitatum emptum à Ioanne agnato Habspurgico ditionibus suis adiecit. Princeps grauis, & prudens, & eruditus, qualis & eius coniunx, ideoque Eruditiores coluit. Sex autem liberos ex Ferrettana sustulit.

Bella 4. Alberti sapientis.

Gemmingen'em Carthusiã perfecit.

Amator virorum doctorũ, vti & cõiunx.

Primogenitus filiorum fuit Rudolphus IV. *Magnanimus, Ingeniosus, Fundator* appellatus ex eiusdem voluntate, eodem defuncto Austriacas ditiones omnes (in quibus, & omnibus illarũ priuilegijs, suo ác FFr. nomine ab Imp. Carolo IV. cuius filiam Catharinam duxerat, anno 1360. confirmatus est) interuentu tamen fratrum (qui tum mos solemnis Austriacis erat) rexit. Pacem fædusque inter Albertum patrem & Tigurinos anno 1355. factum seruauit. Lacum Tigurinum à Rappersuilla vsque ad Hurdenum vicum ponte 1850. passuum strauit. Marchiam Taruisianam, & alia quædam loca, de quibus cum Venetis contentio erat, beneficio Imp Caroli IV. accepit. Ex donatione Margarethæ Maultaschiæ, vna cum FFr. Tyrolim & regionem Athesinam adijt Anno Christi 1363. factusque est familiæ huius Comes Tyrolensis in ordine & nomine primus. Cæsarem socerum in Italiam comitatus obijt Mediolani ex febri, 6. Cal. Aug. Anno Christi 1363. Aet. XXVI. Sepultus Viennæ in S. Stephani æde, quam Cathedralem fecit, turris etiam eiusdem fundamenta fecit Anno 1363. quæ anno 1437. absoluta est. Rudolpho mortuo Albertus III. cum Leopoldo fratre aliquamdiu simul rebus præfuerunt, sed, orta tandem inter illos simultate, prouincias partiti sunt.

Tyrolis Comitatus Austriæ accedit. I. Comes Tyrolẽsis. Cathedralem Ecclesiam S. Stephani Viennæ efficit.

2. Albertus III. 3 Leopold. 4. Fridericus V ἄγαμος in Venatione à domino de Pottendorff occisus Anno Christi 1362. *splendidus* cognomine. Viennæ in Crypta sepulchrali, vti communi familiæ Mausoleo à Rudolpho IV. fratre ædificata, ad D. Stephani tumulatus.

5. Margareta I. Austriaca, nupta Meinardo Boio, anno Christi 1354. Ludoici

doici Bauari filio: quo defuncto Ioanni Morauiæ Principi Caroli IV. fratri fuit desponsata.

Catharina Clarissa Viennensis.

6. Catharina V. cælibatum in Cœnobio Clarissarum professa, eidem præfuit.

Pater Patriæ.

Albertus III. Exarchus Austriæ, Princeps Tyrolensium Pater Patriæ, & cum Trica, *cognominatus. Hæricum Comitem Schaumburgensem domuit, libertatis captatorem. A.C.1360. Anno Christi 1366. Schardingæ omnem controuersiam, quæ Austriacis, cum Bauariæ Ducibus intercesserat super Comitatu Tyrolensi, cum insigni vtrorumque commodo, composuit. Viennense gymnasium à Patre inchoatum, in Academiam publicam conuertit. Heluetico fratris Leopoldi bello abstinuit. Mathesin, Architectonicam ac statuariam impensè coluit. Arcem Luxenburgicam cum amœnissimo ferarum viuario extruxit, & ibidem dum se ad bellum Bohœmicum, accingeret obijt XV. Kalendas Septemb. anno 1389. Viennæ ad S. Stephanum sepultus. Vxor prior Elisabetha, filiâ Caroli IV. improles. Posterior Beatrix Burggrauij Normbergensis filia, ex quâ vnicum filium sibi cognominem sustulit, Albertum IV.*

Academiã Viennẽsem instituit.

Albertus IV. Archidux Austriæ, *Patiens & Mirabilia Mundi* cognominatus A.C.1400. in Palæstinam voti religiosè suscepti caussâ proficiscitur, & Venetijs duabus triremibus soluit. In Syriam veniens omnia loca perlustrat, nec Austriacum se esse, aperit, donec persoluto voto nauim ingressus, & Francicis copijs ex insidijs petitus, explicatis Austriæ vexillis, & tubis clãgentibus ipsis hostibus insultans securus euadit, & incolũis patriã intrat. Vbi mox Ioannam cuius soror Margareta nupsit Ioanni Intrepido Burgundiæ duci, & Alberti Bauariæ ac Hannoniæ Hollandiæ ac Zelandiæ Principis filiam ducit. A Procopio Caroli IV. ex fratre nepote, venenatâ potione dolosè vnà petitur cum Sigismundo, Vngariæ & Bohemiæ Rege, ac demũ Imperatore socia arma Alberto iungente. Procopius enim Znoymam Morauiæ vrbem ingenti facinorosorum hominum manu insederat, indeque Austriam infestarat. Sigismundus Rex medicorum ope conualuit Albertus solutâ obsidione, lectica Neoburgum defertur, aluoque in dysenteriam defluente moritur. A.C.1404. Viennæ ad D. Stephani inhumatus.

Ad sepulchrum Domini in Palæst. abit voti causa.

Veneno perit.

Nati ei Albertus V. & Margaretha consors Henrici diuitis Ducis Bauariæ ac dynastæ Lanshutensis. 5.

Impubes imperat.

Albertus V. inter Cæsares eius nominis II. dictus honorificus *à prouincialibus ordinibus cum nondũ ex ephebis excessisset, sub Guilhelmi 1. & Leopoldi 3. tutelâ, patruelium, gubernaculis admotus est. A.C.1410. VI. Iulij. Fuit is Rex Bohœmiæ, & Vngariæ, Archidux Austriæ V. Dux Silesiæ & Lucemburgi, Marchio Morauiæ & Lusatiæ: Princeps fortitudine, liberalitate, clementia, supra quam dici potest clarissimus, vsus post fũdatam familiam Habspurgicam ante omnes consanguineos fortunâ fauentissima & simul fugacissima, quæ neque in sanguinis Augustissimi traduce, & tantorum nominũ*

vnico

vnico herede diu stetit. Anno Christi 1422. Elisabetham vxorem duxit filiam Cæsaris Sigismundi, quo sine mascula prole decedente Anno Christi 1435. ipse ad Albam Regalē vna cũ coniuge ipsis Kalend. Ianuarij Rex Vngariæ eligitur & coronatur. Nonis Maij Rex Bohemiæ renunciatur, & Frācofurti Rex Romanorum & Imperator eligitur, ac de more Aquisgrani coronatur. Exinde cũ exercitu Bohemiam ingressus & Pragæ 3. Iulij coronatur cum coniuge. Cui cumprimis Henricus Ptasco, Georgius Podiebradius aliique regni Proceres, Casimirũ Poloniæ Regem ad coronam euocantes, resistebant. Peracta Coronatione illico in Ptasconem & complices mouens, illos in ordinem redegit Vladislaũ Polonum, Casimiri filium magno cum milite Bohemiam inuadentem repedare inglorium compulit. In Amurathem Turciæ Tyrannum, numerosissimo exercitu Hungariam inundantem, & expugnantem Sinderouiam maximas copias eduxit, cuius ille aduentu perculsus turpiter retrocessit, vt suas copias ex auctorare coactus fuerit, & in reditu cũ sub insolito feruentis Caniculæ æstu, melonum ac peponum esu nimio, profluuium alui cōtraxisset, morte inexpectatissima apud pagum Longam villam; vulgo Nemel dictam, est interceptus quadragenarius. VI. Kalendas Nouembris A.C. 1439. Sepultus in Regum Mausoleo Albæ Regalis: cum Regnum Hungariæ administrasset annum vnum, menses nouem, dies 27. Romanum annum vnum, menses octo, dies totidem: Regnum Romanorũ sesquibiennium, subductis diebus decem. Ex Elisabetha Sigismundi Cæsaris filia sustulit tres proles.

Rex Hungariæ coronatur.

Rex item Bohemiæ & Romanorum.

Amurathē fugat.

Moritur ex alui profluuio.

1. Annam vxorem Guilielmi III. Ducis Saxoniæ Reinhartsbrunni inhumatam A.C. 1462. 2. Elisabetham, Casimiri Poloniæ Regis Consortem, A.C. 1504. ex humanis abeuntem. 3. Ladislaum Posthumum, natum Albæ A.C. 1440. 20. Februarij qui quadrimestris vna cum Matre, rara temporum felicitate, in fascijs etiamnum vagiens coronatus fuit, quem mater asportata Regni corona, quæ S. Stephani Regis fuerat, ad Fridericum IV. Cæsarem adduxit, sub cuius cura fuit educatus vsque ad annum 1452 quo ipsũ Austriæ Cæsar restituit. Vngari post abductum Regem, Vladislaum Polonum in Regem eligunt, quo ad Varnam caso, rursum Ladislaum eligunt cōfirmantque, constituto Prorege Ioanne Coruino Hunniade. Bohemi quoque duos, pari exemplo legatos, cum regia potestate instituunt, videlicet Henricũ Ptasconem & Meinardum à noua domo: mortuo Ptascone, Georgium Podiebradium substituunt sub cuius tutela regnum fuit annis XVII, vti Vngariæ Regnum fuit sub Coruino annis XII. Restitutus Austriæ, Posonij coronatur secundo A.C. 1453. ab Vngaris sub finē Ianuarij: & à regni Hungarici Ordinibus accipit Sacramentum. Eodem anno quoque Pragæ Rex Bohemiæ 25. Nouembris. A.C. 1458. Magdalena Francica Caroli VII. filia, Ludouici XI. soror absenti desponsatur Caroli VIII. amita. Ideo Legationē in Franciã destinat, 700. equitũ excultissimorum, & virginum illustrium nobiliumque 400. deducendæ sponsæ Regiæ causa, quibus multi currus ac lecticæ erant: 80. equi niuei adiecti aliaque regia munera. Interim Ladislaus improuiso correptus morbo, seu peste, seu veneni pharmacum cuius valida fuit suspicio, illum excitarit, in solemnissimo nuptiarum apparatu, nōdum visa Regia sponsa Valesia, in ado-

Coronatur Rex in fascijs Ladislaus Hũgariæ.

Poloniæ Rex pro infante coronatur.

Caso Vladislao Polono rursũ coronatur Rex Vngariæ & Bohemiæ.

Despōsatur ei filia Caroli VII Valesij. Regis Franciæ.

Imperij saniores in illum finem excubabãt: at incassum omnia ceciderunt, quæ pro salute & incolumitate Imperij consilia status Catholici agitabant, adeo vt indicta Imperij comitia soluerentur, & sine fructu coacti ordines Principesque, domum quisque suam, repeterent.

Quod ergo iam ante in diuersis conuentibus feliciter ex voto perfecerant, vt illorum machinamentis alij Ordines cederent, & dolosis artibus eorundem locum darent, idem in Legitima Electione Ferdinandi resumpserunt, quam si irritare nequiuissent, saltem crebris dilationibus dissoluere & procrastinando tædium inijcere Electorum animis contendebant. Et quidem sua opinione non fuissent frustrati, nisi admiranda trium Electorum Ecclesiasticorum fortitudo animi, Bohemiæ Regis constantia, & Saxonici Electoris æquitas obstitissent. Tantum versuris suis, amphibologijs, prætensis, fraudibus, simulationibus, laruis veritatis profecissent. Verum non est consilium aduersus Dominum: etsi in cariosæ suæ caussæ subsidium rebellium Bohemorum nefaria grauamina, nequidquam quæsiuissent.

Dein vero cum non alius quam Austriades eligendus videretur, (cum qua familia æterna odia & plus quam ciuilia æmulis intercederent) omnibus modis impedire, obicemque interponere nitebantur. Suspecti namque plerique Austriaci illis extitêre iam inde à Carolo V. ob religionis Catholicæ zelum, ob formidabilem potentiæ magnitudinem, ob continuam Cæsarum successionem, quam hæreditariam perperam ad conflandam inuidiam interpretabantur, quasi è diametro cum Bulla aurea sanctionibus depugnaret. Insignis color, sed fucatus, qui iustitiæ spongia detersus, omnes eorum technas nudauit. Catholici Principes specioso nomine salutantur, & proponuntur, quos Imperio capessendo idoneos iudicabant, & quidem aliquot, vt commissis inter se illius religionis Principibus illarum turpi diuisione vires exhaurirent, & suarum secessionum infausta consilia ipsi, ad obtinendam tyrannidem stabilirent.

Ser.[mus] *Bauariæ Dux Maximilianus ardentissimis votis ad Imperij coronam vocatur & inuitatur: verum admirabili exemplo, & modestia singulari renũciat fauentiæ: isti Princeps incomparabilis, tanto fastigio, Imperij & Ecclesiæ Catholicæ commune bonum anteponens. Christianissimus Galliarum Rex varijs illicijs, suadelaque mellea eodem traducitur: sed maluit ille Regno suo hæreditario potentiam suam coercere, quam in alieno solo iniustæ rebellium causæ patronum agere. Aliorum Principum animi quoque explorati, quos non modo conscientiæ integritas, fœderum sacrosancta Religio, pacis publicæ obseruantia, sed cumprimis periculosissimus Germaniæ Imperijque status, à tam præcipiti Regni acceptatione reuocauit.*

Nihil in lucem eruperat, sub pectore adhuc & in penetralibus consilia coquebantur: vomica nondum maturuerat, cum mora impatientes ipsimet eandem incidunt, saniemque execrabilem, scilicet bellum Bohemicum, & defectionem pessimam, extrudunt, vt, quia animi Electorum & suffragia in Ferdinandum ferebantur, Electionem eiusque progressum interuerterent, Principem nouerant prudentẽ, zelosum, Catholicum, in domo Ba-

mio Bauarica . insigni & nunquam interrupta Catholica religionis in Germania officina, cum patruelibus educatum, & cumprimis auitæ fidei tenacem, quem suo ingenio metientes reuulsis conuentis mutuis, sanguinis sitientem esse sibi persuadebant, (quæ sanè atrocissima iniuria erat) & timebant, ne in Germania id faceret, quod in suis hæreditarijs prouincijs effecisset, vbi religionem veterem, proscriptis nouellantium sectis voluit obseruari. Exemplo non nouo, cum Comites Palatini, Comites prouinciales Hassiæ Cassellani, alijque non pauci S. R. Imperij Principes, Comites, Barones, Domini, nobiles Catholicos in totum exegissent, bona possessionesque Ecclesiasticorum occupassent, prophanassent, diripuissent, sibique, velut Idololatriæ papisticæ, si Dijs placet, vindices, contra fas vsurpassent, & damnatam in Imperio, neque vnquam approbatam in comitiis vllis Imperialibus sectam inuexissent. Quinimmo cum diuino cultu ac prisca religione non secus procederent, atqui mangones facere solemne habent, qui ex equorum permutatione repetita victum sibi conquirere solent. Palam est in vno Palatinatu, nostra memoria, quater religionem esse mutatam.

Neque ignorabat Ferdinandus, vnde ista tragœdia initium sumpsissent. Nimirum comederant patres vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerũt. Pusillanimitas, conniuentia, indulgentia nimia, & metus periculorum Cæsarum præcedentium, dedit occasionem subditis, vt ad legitimorum Dominorum exterminium inflato rebellionis classico, Caluinianis dogmatis impregnato conuolarent. Quid quod ipsi Catholici & Augustani Principes præsertim Electores turbarum ciuilum & castrensium insolentes, togati non armati permiserint, vt prouinciæ, ciuitates, nobiles Comites &c. alijque feudatarii religionem orthodoxam cum nupera Caluinistica cõmutarent, nec de illa inconstantia leuitateque ad tribunalia in Imperio traherentur: certè, immedicabili pene vulnere posterorum, pro quibus seruandis commodissimè & iustissimè iuris præscripta remedia potuissent desertoribus admouere. Nam potentia magnitudine, subditorum numero, prouinciarum amplitudine longè præcellebant. Quamobrem ergo tot ex ista inuidiæ & Proserpinæ Caluinianæ officina, intoxicatæ fabricantur sagittæ, & in innocentissimum Regem contorquentur, cum suo exemplo identidẽ repetito ad oculum, quid agendum esset, ostenderint? Cur odia tot vastitatibus & cladibus stipata & adipata, in Ferdinandũ euomuntur, adeoq; iniustè illius domus augustissimæ excidiũ indicta caussa captatur? Cur iniustissimis armis subditi ex inani metu sumptis à legitimo hærede, Domino ac Rege electo, proclamato, vncto, coronato, inuestito, per iuramentum fidelitatis acceptato, alienantur, & in rebellionem adeo lamentabilem detruduntur? Neque hic tamen eorum funesta consilia substiterunt, longius progressa, Vngariam, Austriam, Morauiam. &c. populatrice flamma corripuerunt.

Non aliter autem id perfici potuit, quam ad Sulthanum Turcicum, velut eorum in Religione & fidelitate contribulem confugerent, & Caluæ Erynnidos cornu tumultuoso, à septemplicis Istri ostiis & Euxini maris infidis vorticibus patronos ac defensores suarum coniurationum arcesserent. Septimontius Regulus ad coronam Hungaricam

contra fidem datam, contra iusiurandum euocatur, & quod execrabilius est, Tartari & infideles ad socialia arma exciuntur, dummodo infestis signis & armis regna, ducatus, dominia Austriacæ domus, & Ferdinandi cumprimis, subiuganda, subhastanda & euertenda susciperent.

Illa facies erat Imperii, illa in legitimos dominos, Regem & Archiducem Ferdinandum consilia, is armorum apparatus, & societates bellorum, cum ad iustam defensionem orthodoxi Principes accingerentur, pro aris, pro focis, pro incolumitate ac salute Imperii pugnaturi, si lacesserentur & impeterentur: neminem nisi prouocati, oppreßique offensuri, & capite deminutum Romanum Imperium, nouo ex Principibus Imperii delecto ac legitimè surrogato capite viuacißimo pristinæ integritati restituerēt, curaturi. Itaq, primus Archicancellarius Moguntinus, ex Electoralis dignitatis munere (quandoquidem fama vulgi de corio Catholicorum iam luserat: de aris, focis, fortunis illorum conclamarat, de Cleri, de Religionis extremo excidio sententiam tulerat) contra nitendum immortali fortitudine, Coelectorum prudentißimis iuxta ac cordatißimis nixus consiliis, decerneret. Itaque in Vrbe electioni antiquitus destinata diem dicit, Francofurto videlicet, vt tres Archicancellarii, ipse Germaniæ, Galliæ, Italiæ, Bohemiæ Rex, Palatinus, Saxo, Brandenburgicus, omnes Electores ad XX. Iulii, stylo nouo, lectis intimationis litteris, vt in Bulla vocantur, sese ibidem sisterent, & sacrosanctis Augustorū sanctionibus, Electionem Creationemque Regis Romanorum rite præscribentibus, examussim responderent. Venere tres Archicancellarii in persona, reliqui seculares Palatinus, Saxo, Brandeburgicus, per legatos. Restabat Rex Bohemiæ, lapis offensionis, Austriadum & Bauarorum sanguis Serenißimus, vt cū aliis Principibus Coelectoribus concordibus suffragiis Regem statuerent. Hic excelsæ indolis, & imperterriti animi Princeps, non putabatur aduenire posse, quod iustißimam absentiæ causam cum fortißimo Saxoniæ Duce potuisset prætexere, ex Bohemorum, affiniumque populorum coniurationibus clandestinis, ac rebellionibus manifestis, quibus repellendis & dissoluendis ipsemet incumbere cogeretur, petitam. Dein quod populari rumore paßim percrebuisset, diem XX. Iulii ab Ill.mo Germaniæ Cancellario præfixum, Regiæ Electionis diem non futurum, sed alium quempiam esse indictæ conuentionis Principum Electorum Rheni diem, siue diætam vulgarem Imperii, in qua de Bohemorum motibus consultandum esset, & tanto vulneri remedium adponendum. Vnde duo seculares Electores, Palatinus & Brandenburgicus, limitatum mandatum, quasi Rex Romanorum eligendus non esset, suis Legatis seu commissariis, strictim dandum, litterisque ad Saxonem Electorem missis, eodem pertrahendum esse iudicarunt. Is verò expensis rationum momentis, & plebeia fama constantia adnitente, ex templò Principibus morem gesit, & Legato suo tractandi agendique potestatem, quoad Electionem Regis Romanorum restrinxit, & eo pacto instructum ad Comitia transmisit. Interim in euentum alii duo, si secus non possent, in amplißima forma mandatum Regis eligendi etiam contulerunt. Qui profectò obex haud vulgariter Electorum animos potuit percellere, & imprimis Bohemiæ Regis accessum demorari.

Accede-

Accedebat seditiosus alius rumor, qui sanguinis fundendi præsagus erat à calonibus, lixis, aliisque maleuolis disseminatus, quod Principes Electores capiendi, & intra mænia Francofurtensia coercendi essent, nequêquam Principum Imperii, nedum Bohemiæ Regem, nisi quem ipsi vellent, ad gubernacula Imperii tractanda moderādaq; adhibere possent. Prius Electionis negotium cum confœderatis Principibus, & vrbibus imperialibus illis adhærentibus communicandum, priusquam ad illius executionem gradum facerent. Cæterum cum facinus illud nouum, & inauditum in Imperio esset, & vnus Principum confœderatorum, vti & pleraq; Imperii vrbes, facti illius turpitudinem exhorrescerent, illorum machinationes in spongiam incubuisse, spargebatur.

Adauxit timorem, frequentissimi militum Batauicorum per VVetterauiæ confinia transitus, qui diuersis alis & turmis circum circa magno numero volitabant, vt hostilibus conatibus in speciem occasionem præberent, quod tum pro Bohemis rebellibus ad signa euocati essent, tum in Palatinatu per statiua distribuendi, vt limites & viscera illius ab improuisis hostibus defensarent. Paret nihilominus Ferdinandus Bohemiæ Rex infractus, aduersum pericula sequiturq; Archicancellarium, hostium rebelliumq; terras inuicto animi robore peruadens, equitum armatorum ala vnica, quinquaginta Bandiliriis constante stipatus: verum cælestibus auxilijs Numinis summi emunitus, (quod tota vitæ suæ periodo ab infantia in iustitia & sanctitate timere didicit) vt Religioni orthodoxæ cumprimis, dein inclinanti Imperio succederet sustentator. Prodigiosæ magnanimitatis facinus plenitudinem regiæ potestatis in tam manifestum discrimen offerre. Certe cuilibet prudenti hic palam subolet, quam facile in herba potuisset opprimi Rex ille, nî diuina misericordia eundem ab atrocibus aduersariorum assultibus, adeo magnæ animæ prodigum, seruauisset. In quam sententiam iam ante consilia ceperat, adhuc Viennæ agens, posteaquam litteris Archicancellarii ad Comitia fuisset Francofurtum euocatus. Consiliariorum pars altera dissuadebat, nimirum eundum S.æ M.ti non esse, quod Bohemiam, Morauiam, Austriam &c. esset desertura, quæ per absentiam ipsius, defectionem rebellionemq; suā essent firmatura, & irreparabili diuortio ab Austriaca domo discessura. Deinde, neq; temere hostibus credendū esse, quorū territoria & limites Rex trāsiturus hostili aut insidioso mucrone peti posset, neque vllo modo admittendum, tantum verticem, ex quo incolumitas Austriacæ domus & Maiestas propemodum dependeret, iniuriis coniuratorum & periculis obiectare. Vicit tamen pars altera, eundum esse, cum eius præsentia imprimis necessaria, nihil non boni in Comitiis esset effectura; quam adeo Orthodoxi Electores concordibus animis expetiissent, tum quia tanta tamque manifesta Imperij capessendi occasio affulgeret, tum quia paribus consiliis in remedium rebellium possent inquirere.

Iam vero non tantum in via, verum in termino quoque viæ, prodigiosæ illi insidiæ & amentata manus incubuere. Francofurtum ad Mœnum, sacri Romani Imperij libera ciuitas, cuius hinc legibus & statutis obnoxia, illinc vero Hansæ Balthicæ fœderibus deuota, ignorabat, quid in dissectis diuulsisq; Principum studijs consilij capesseret? quo noua

pacta

pacta cum Principibus Ferdinando infestis inita incantum abriperent? quaquauersum hostes ex amicis se facturam timebat. Itaque in proximo militem, Centuriones, Chiliarcham cogit copiosiores, quam aliis regalibus Comitiis consueuerat, & quidem in Palatinatu ab Electore exauctoratos: equitem nonaginta capitũ ad stipendia trahit, præsidium vrbi firmandæ fortissimum imponit, quasi hostem in Ferdinando, non Electorem esset admissura. Ex quibus militibus cum petulantioris splenis quidam essent, & miserabilem fortunam domesticam in ampliorem commutatum iri sperarent, maligni rumores emanabant, qui plebeciorum animos primo, mox potentiorum occuparent, validi satis, mox ad fore Bohemiæ Regem cum aliquot armatorum millibus, ad obsidendam vrbem, & expugnandam. Patricios, Curiam, Senatum idem occupat rumor, ac periculi securos percellit omnes. Senatus coit, sententiæ variant, metus ingrauescit, ad arma concurritur, cumque interea Ecclesiastici Electores suorum equitum turmas ad excipiendum Regem emitterent, conclamatur ad arma, quæ non sine innocentis sanguinis effusione expiata ac posita fuêre. Trepidatum falsæ famæ vitio vrbe tota, ciuibus ipsismet ac præsidiariis iustam defensionem parantibus.

Viso autem inermi Regis comitatu, rhedis pauculis, & equitibus, etiam infra Bullæ aureæ præfixum singulis Electoribus ad Electionem euntibus, numerum, tumultuosos milites & seditionis sanguinariæ capita facti sui panituit, non quod tam seditionem illam excitassent, quam quod sua spe deiectos se esse dolerent: Cumque Moguntinus Elector Senatum officii sui & iuramenti commoneret, illico in auctores inquisiuit, & comprehensos Ser.^mo^ Regi stiteruut, quos ille pro ingenita clementia, licet M.^tis^ rei essent, enormi supplicio subduxit. Et licet plerique eorum atrocibus blasphemisque criminationibus suam M.^tem^ petulantissime vulnerassent, carceribus exemptos, & impunitati donatos pristino gradui, ne quidquam motus, restituit: adeo innocentissimum pectus Regis iniuriarum obliuio exornarat.

Neq; tamen hic periculorum modus factus, longius etiamnum exspatiata, excidium regnorum duorum, Vngariæ & Bohemiæ, cum attinentiis, & infamem abrogationem comportabant, vt Electoratus titulo ac iure spoliatum ex septenario Electorum velut immerentem, expungerent. Id virulenta Bohemorum rebellium consilia, id complicum malesuada molimina portendere, id causidicorum infames schedæ, & corriualium ambitiosæ substructiones præscribere, quibus Ferdinando singulari Dei prouidentia electo & coronato, reuulsis omnibus iustitiæ & honestatis repagulis, partum Bohemiæ regnum abrogare, mediis in sacro Romano Imperio hactenus inauditis, quamdiu illud penes Germanos stetit, inuictum, stipulati fuerant & coniurarant. Nimirum mens aduersariorum erat, per Bohemos illam telam pertexere, quam ab annis quinquaginta aduersus sacri R. Imperii Proceres, & religionis orthodoxæ defensores, ante & inter Imperialia comitia, iniustissimè fuissent exorsi, quoties de Rege Romanorum, exulceratis illis temporibus deligendo in commune consulendum erat. In quibus nunquam orthodoxorum Principum, & Augustanorum morem gerere voluntati dignati sunt, nisi prius grauamina

mina sua sustulissent. Quorum discendorum si quem cupido habet, is libellos de eorum grauaminibus ori, scripto, typis mandatos euoluat, & Principum Catholicorum responsa, quibus se magis grauatos esse, fuisseque demonstrant ad oculum, quam turbulenti illi fingere queant se vnquam læsos fuisse, si tamen læsi sunt.

Alebatur in spem Imperij Ferdinandus, nec aliò, si Austriacus eligendus esset, deriuari suffragia ferè poterant, cum Maximiliani II. linea, excepto Archiduce Alberto Belgii Principe, deficeret improles, dein Archiducali, Regia, Cæsarea tam Bauarica quam Austriaca insigniebatur origine, à matre & coniuge inculpatissimis heroinis, stirpis Bauaricæ illustris, parentela, affinitatibus, ac sanguine monarcharum fruebatur, Religionis Romano-Catholicæ zelator erat & defensor acerrimus, absque præiudicio tamen & vulnere Augustanam confessionem amplexantiū, pacificationis in Religionis negotio & fœderū pactorū tenacissimus, nullius Principis etiam Caluiniani persecutor, nullius subditi cōfarranei oppressor (cuius tamen per summā iniuriam, & propudiosum mendaciū reus, ab rebellibus, agebatur) quamobrem charus omnibus Principibus, & Imperii ordinibus Orthodoxis erat, hūc nullo modo tolerare, huius generis famam, sanguinem de medio tollere, & æterna nocte sepelire, vel in ordinem plebeium, si aliter nequirent, redigere ad minimū, omni contentione connixi sunt. Hic sudes, hic scopulus Ferdinādus, adeo hūc in vilipendium ded ucendum, lacerandum iniuriis, Regia, Electorali, aliisque titulis dimouendum, vicinorum Optimatū & Principum bellis exhauriendum sumerent, quia nimirum Austriacus erat, quia Catholicus, pacificus, iustus, timens Deum & recedens à malo, quò pulcherrimum eius int[illegible]natumque ad Romani Imperii fastigium, callem pestilentissimis artibus & technis obstruere & inædificare isthac rebellione, & suffragii iure in Comitiis Francofurtensibus destituere possent. Verum æterna sapientia Numen inuariabile pro sua inexhausta Clementia consilia hostium interuertit, & meritissimum Principem, à fortuna, Natura, Gratia donis & thesauris instructissimum imperiali diademate elusis æmulis donauit, cui medullitus acclamamus Ferdinādo II. Augusto, piissimo &c. Vita & Victoria. *Beneuolus Lector Electionem & Coronationem eius legitimas percurrat, & prius Arborem eius Gnealogicam, & Maiorum virtutes euoluat, num vti sanguinem illorum serenissimum acceperit perinde cum prouinciis & regnis amplissimis succum ac lineamenta animorum generose deriuarit. Tres rami augustissimæ arboris iam nunc supersunt eiusdem domus ac familiæ, Hispanica, Austriaca, Styriensis. 1. Philippum Monarcham cum numerosa prole extulit. 2. Augustos quatuor, Ferdinandum I. Maximilianum II. Rudolphum. II. & Matthiam I. mortuos, item Archiducem Albertum improlem etiamnum superstitem. 3. Ferdinandum II. Augustum, posteritate per Dei clementiam, donatum quorum dies sint vt dies cœli, oramus.*

HISTORIA ET ARBOR GENEALOGICA AUSTRIACA.

FERDIN. II. Rom. Imp. semper Augusti.

LIBER I.



Erdinandus D. G. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ &c. Bohemiæ & Vngariæ Rex coronatus ex Augustissima Austriadum domo descendit, quâ nulla vnquam in terris extitit domus, sanguine nobilior, & Regia ac Imperatoria Maiestate sublimior. Quam si altius velim euoluere, & ad prima incunabula pedem efferre, vtique non erit huius loci neque temporis, neque mearum virium intra istas angustias coercere. Omissis itaque vetustissimis arboribus Regum Franciæ, item Poloniæ, Vngariæ, Bohemiæ aliorumque Regum Ecclesiæ stirpibus, in quas Austriacorum horum Maiores per connubia & affinitates sunt inserti feliciter, à Rudolpho I. initium faciam, quod is primus familiæ conditor & fundator excellentissimus, Austriam victo, interemptoque in acie Otthocaro posteritati suæ vindicarit, eamque in hanc Maiestatem nunquam ruituram non tam armis quam virtute & religionis constantissimo zelo extulerit, quam post omnes, & sanguinis genuini traduces vt accepere fideliter, sic ad vnum omnes, vsque in hunc præsentem Cæsarem seruauere inuiolabiliter.

Rudolphus I. Magnus. 1216

Itaque Rudolpus I. Romanorum Imperator semper Augustus natus 27. Aprilis A. C. MCCXVIII. ex parente Alberto, qui *sapiens* vulgo vocabatur, & Heduige Comitis Alsatiæ filia, vnica ac hærede Landgrauiatus. Tyrocinium militiæ apud Fridericũ II. absoluit, varia bella adhuc priuatus, aduersus Germaniæ dynastas interregni tempore victoriosus semper gessit, cumque XX. annis Imperium caput non haberet, vnanimi Electorum omnium voto consensuque Francofurti absens, & Basileam obsidione cingens, in Regem Romanorum eligitur 29. Septembris Anno Christi 1273. & ab Electoribus illicò Comiti Idelio Friderico demandatum, huius Electionis legatum sustinere, vt ipsi Rudolpho iam tum Basileam valida manu & obsidione prementi nuncium perferret. Qui pernicissimè Basileam aduolans, siue ad pontem Arolæ, vt aliqui volunt, summum in terris fastigium concordi Electorum suffragatione Francofurti sibi absenti raro exẽplo collatũ esse, ob pietatis, fortitudinis ac prudẽtiæ militaris encomia, quibus omniũ ora impleret, nunciauit, procurante cumprimis VVernero Archiepiscopo Moguntino, ex comitibus à Falckenstein, tum quod illi insigne

Comes Idel. Frid. Zeller. legatus ad Rudolph. 1273 Imp.

ſigne beneficium inter bellorũ & latrociniorum vaſtitates, quibus Imperium XX. annis continuis capite deſtitutum vexabatur, præſtitiſſet, tum quod Sacerdos, ille, cui aliquando equum Comes dederat, vt cum V. Sacramento ad infirmum iturus, ſicco veſtigio exundantes torrentis aquas tranſmitteret, in aula Moguntina Archiepiſcopo à ſacris confeſſionibus eſſet, & incomparabilis Comitis virtutes identidem recenſeret. Ad quæ obſtupefactus Rudolphus, tandem poſt multa verborum rationumque commercia, humeros tanto oneri ſubiecit. Ex qua Zolleranorum Comitũ vetuſtiſſimorum familia, hic annus 1621. S. R. E. Cardinalem 10 Ianuarij à Paulo V. Pont. Max. creatum vidit Germania, illi cognominem Eiteliũ Fridericũ, Præpoſitũ Metropolit. Colonienſẽ, Magdeb. & Argentinẽſem, gemmam Sacerdotum & ſpeculum virtutum omnium, tali apice ſanguinis iuxta ac meritorum cenſitione digniſſimum. Rudolphus autem ex illo tempore collapſum Imperium armis, iuſtitia, legibus, religione condere ad miraculũ cæpit, & erigere, *a* vti alibi tractaui, Fertur eius apophthegma iam Imperium adeuntis, mandatum ſeuere ac inculcatum aulicis & ſatellibus, teſte Siffrido. *Date obſecro hominibus me accedendi locum & facultatem. Non enim ideo ad Imperium euectus ſum, vt hominibus in arca præcludar*, innuens potentioribus, perinde ac pauperibus, ſui copiam pro adminiſtranda iuſtitia, faciendam eſſe. Anno Chriſti 1278. victo in acie Ottocaro, & iam multo ante Neapoli vltimo duce Auſtriæ Friderico, per Carolum Andegauenſem Ludoici ſancti Franciæ Regis fratrem, iam tum Regem Siciliæ, ſecuri percuſſo Auſtriam accepit, quam Alberto filio primogenito, ſuo & imperij nomine in Comitijs Auguſtanis 27. Ianuarij, anno Chriſti 1282. tranſſcripſit cum Stiria, Carniola & dominio Vindorum Marchæ: Meinhardo ſecundogenito Carinthiam, comitatum Tyrolenſem, & Marcham Taruiſianam. Tertiogenito Rudolpho ducatum Sueuiæ, Landgrauiatum Alſatiæ & Ergouiæ comitatum &c. Tandem plenus annorum laborumque, poſt quam Erphordiæ Albertum filium ſucceſſorem deſignare ſtuduiſſet, Frãcofordiã proficiſſens, in itinere febri corripitur, & Geimershemiũ delatus ex illius malignitate extinguitur ipſo die Diuiſionis Apoſtolorum 15. Iulij. Ab Henrico VII. Spiram delatus, iuxta Adolphum Naſſouium ſepelitur. Vixit annos 73. menſes 5. d. 15. imperauit annis 18. Ex Anna Alberti Comitis Hohenburgici ad Nicrum filia 13. liberos ſuſtulit, ſex mares, ſeptem fœminas. Ex quibus quinque regio diademate eminuerunt. Albertus, Rudolphus Bohemiæ Rex, veneno ſublatus, Catharina vxor Ottonis Bauari in Regem Hungariæ electi. Iutha V Venceslao Regi Bohemiæ Ottocari filio nuptui tradita, & Clementia Carolo Marcello Neapolis & Vngariæ Regi coniugata.

Comes I-del. Frid. S. R. E. Cardinalis.

a In Sceptro Regali. cap. 2.

Clementia Rudolphi ſingularis.

Quomodo hæreditatem ſuam & feuda Imperij inter filios diſtribuerit.

Albertus I. filius succedit, postquam Exarchatum Austriæ Anno Christi 1282. à Patre in Comitijs accepisset. Vxor Elisabetha, filia Menardi Ducis Carinthiæ, Comitisque Tyrolis ac Goritiæ. Ex qua viginti & vnũ liberos suscepit, quorum duodecim ad iustã ætatem solum peruenerunt. Cum defuncto Patre Principes Electores Francofurti de nouo Imperatore eligendo Comitia instituissent, Imperij potiundi spe, cum exercitu VVinsheimium vsque peruenit, at Moguntini calliditate cum prælatum Adolphũ Nassouium intellexisset, domum reuersus, Andreæ III. Vngariæ Regi filiam Agnetẽ elocauit, & paulo post Viẽnæ in palatio suo veneno petitus alterius oculi vsũ perdidit. Anno Christi 1298. Moguntiæ contra Adolphũ Cæsar declaratur, cum quo in campis Vangionum inter Monasterium Rosenthalium & Geillenheimiũ pagum sex horarum spatio congressus, vita & Imperio simul deiecit. XVI. à prælio die Francofurti PP. suffragijs concordibus denuo eligitur, & Aquisgrani XXII. Augusti coronatur Imperij anno X. à Ioanne Rudolphi fratris filio, suo nepote & coniuratis, quasi illi paternã hæreditatẽ reddere differret, in ripa fluminis Rusa, quod traijcere volebat, nefarie perimitur, ac Vettingæ sepelitur, quem effossum Henricus VII. Imperator Spiræ rursũ inhumauit, in Mausoleo prope Patrem, & vno palmo ab Adolphi sepulchro distante. Hoc Imperante, Templariorum ordo extinctus est. Tria hominum genera impense coluit, pudicas fœminas, deuotũ Clerũ, strenuos milites: delatores & bilingues exosos habuit. Vxor Elisabetha Imperatrix prudentissima, illustre cœnobium Cæsaris manibus parentandis exstruxit, Campum Regium dictum, quæ perspicacitate suâ Salis fontes prope Gemundam, eiusque coquendi rationes ostendisse scribitur.

Eligitur cũ Adolpho Nassouio Imperator. *Victoria Alberti I.* *Cæditur à fratris filio.* *Cœnobiũ Campum Regiũ pro Alberto fundatur.*

1. Filius Rudolphus, Rex Bohemiæ factus, veneno tollitur, sine liberis moriens.

2. Fridericus tertius Rex Romanorum & Imperator, cognomento Pulcher, Henricum VII. Imp. Romam cum equitatu deduxit, & ab eodem bonis Ioannis Parricidæ donatus, ad Imperium illo mortuo aspirare cœpit, maximorum Europæ Principum amicitia, affinitate & cognatione fretus. Itaque Bonnæ in controuersiâ Electorum à duobus Coloniensi & Palatino electus, Anno Christi 1314. 5. Octobris, (vti solidissimè pro Ludoico Cæsare euincit Heruatus) inauguratur, & à Ioanne XXII. Pontifice confirmatur. Ludouicus vero Baioariæ Dux quinque votis Francofurti. Quare cũ illo de Imperio decertans aliquoties æquo Marte commisere, tandem Anno Christi 1322. inter Muldorffium & Dornspergam infestissimis armis concurritur, & victus captusque Fridericus triennio in custodiâ detinetur, ac Leopoldi fratris auxilio, certis conditionibus cum Ludoico pari potestate & iure imperaturus restituitur libertati, diplomate super hoc erecto Monachij, die Iouis ante Festum Natalis Domini, Anno Christi 1325. vti & ab eodem Ludoico in Regem Romanorum confirmatur, alio diplomate dato Vlmæ, Anno Christi 1326. Obijt ex dysenteria in arce Guttenstein, sepultus in Cænobio Carthusianorũ Murbachij, in sylua Viẽnensi, quod ipse cõdiderat, Anno Christi 1330. hausto vt dicitur philtro cõtabescens. Princeps magnanimus, non tamen fœlix. Ex

Vincitur & capitur à Ludouico Bauaro, & pari potestate imperat.

Isabella

Isabella Iacobi Iunioris Regis Aragonum filiâ sustulit duas filias, Elisabetham desponsam Ioanni Regi Bohemiæ, præmortuam matrimonio, & Annam Regi Poloniæ, ante diem quoque nuptiarum decedenti: quæ postea Ioanni Carinthiæ Comiti nupsit, quo orbata Viennæ in S. Claræ à se extructo cœnobio monasticen religiosissimè professa est. Anno Christi 1344. Ex Cunigunde filia, vt putant aliqui, Ludouici Cæsaris Fridericum & Leopoldum in pueritia extinctos.

S. Claræ cœnobium Viennense erigitur.

3. Leopoldus I. Gloriosus, seu Gloria militum auratorum dictus, quod alios Principes exercitu militari antecederet. (fuit enim corpore valido, & ad rem militarem tam animo quam arte instructo. Iuuit Henricum VII. in Italiam ad diadema euntem, Guidonem Turrianum Ducem Mediolanensem Cæsaris iter præcludentem vicit, & Præfecti Longobardiæ titulum tulit. In Heluetios, Vnderwaldenses Vrios, Suitenses regnum Austriacum excutientes inauspicato, temerè se Alpium faucibus committens pugnauit, vt amisso flore Nobilitatis ipse ægrè euaserit, & inde Anno Christi 1316. cœpit pagorum istorum confœderatio, & Reipublicæ Helueticæ origo. Friderico III. fratri, fideliter contra Ludouicum IV. belligerantem armis animisque adstitit. Ex Catharina Sabaudâ duas filias Catharinam & Agnetem sustulit. Obiit ex febri Argentinæ in ædibus Ochsensteinianus Anno Christi 1326. cum coniuge in Monasterio CampoRegio dicto, sepulti. Adeo Fridericum fratrem amasse dicitur, vt à die captiuitatis eius nullum vnquam lætitiæ signum dederit, & cum Bauaris bellum in an. 1325. duxerit, licet sæpe infœliciter, denique vt fratrem vinculis educeret, summa contentione connixus fuit. Illustre fraternæ affectionis testimonium.

Leopoldus I. Austriacus, gloria militum auratorum.

Rarũ fraternæ dilectionis exemplum.

4. Otto I. cognomento iocosus & facetus, defunctis fratribus, cum Alberto II. fratre ditionum Austriæ gubernacula suscepit, & quia Elisabetham Stephani Bauariæ Ducis filiam in thalami sociam asciuerat, bello ciuili Friderici fratris & Ludoici IV. Cæsaris abstinuit, cuius nuptijs pax inter Austriacos, & Bauaros facta Patauij, A. C. 1312. confirmata est. Hortatu tamen Ioannis XXII. sub reditum Ludouici Cæs. ex Italiâ Columbariam obsidet, sed interuentu Ioannis Bohemiæ Regis, pactis Ottoni in belli sumptus aureorum nummûm XX. MM. & oppigneratis Schafhusio, Reinfeldâ, Neoburgo & Tiguro (pro quo tamen reclamantibus Tigurinis Brisacum accepit) quatuor Imperij ciuitatibus, pax inter vtrumque facta, firma & fida constitit. Postmodum Vngaris Bohœmisque bellum intulit, quod à Ludoico Cæsare Carinthiam aliasque ditiones accepisset, cui & ipse Cæsar se se iunxit, quod Neostadij compositum fuit, & mutuis connubijs pax firmata. Obijt A. C. 1338. in Nouomonte Bernardinorum cœnobio à se extructo, ibidemque humatus, cum vtraque coniuge, quia Annam Ioannis Lucemburgij Bohœmiæ Regis filiam, Caroli IV. Cæsaris germanam sororem duxit, mortuâ Bauarâ. Prior dedit illi filium Fridericum III. (cui ab Anglo desponsa filia,) sexdecennem extinctum, A. C. 1344. Et Elisabetham Eduardo Angliæ Regi, ante nuptias defunctam. Posterior Leopoldum in infantia mortuum.

Pax inter Austriacos & Bauaros conlescit.

Oppugnat Bohemos.

5. Henricus I. Placidus priuatus vixit Moguntiæ, datus à Ioanne XXII.

coadiutor Archiepiscopo Moguntino, cui contra Gibellinos à fratre Friderico cum exercitu auxilio missus fuit, & ne ibidem Imperij iura labefactaret, Henricum reuocat, aliam caussam discessui suo prætexentem, ne Papam offenderet. Cum Friderico Rege captus Ioanni Bohemiæ Regi traditur, & redditis aliquot Morauiæ oppidis, lytri loco alteropost Leopoldum anno decedit, videlicet Anno Christi 1327. Corpus in Ergouiam delatum in monasterio campi Regij est sepultum.

Captus cũ Friderico III.

6. Albertus II. stemmæ propagantit.

7. Agnes II. Andreæ III. Regi Hungariæ nupta, Anno Christi 1291. iuuencula admodum maritum amisit, à cuius obitu exemplari cum sanctimonia in monasterio Konigsfeldensi, campo Regio, reliquum vitæ ad annum vsque 80. ætatis peregit, ibidem cum matre sepulta.

Anna Hungariæ Regina sanctimonialis.

8. *Catharina I. Henrico VII. Romanorum Imp. in Italia agenti desponsata, & Ticinum vsq; deducta, at Cæsare ante thori solemnia veneno sublato, nupsit Carolo Duci Calabriæ, Roberti Regis Siciliæ filio. Sepulta Neapoli, in Aede D. Laurentij.*

9. Isabella I. nupta Friderico III. Lotharingiæ Duci

10. Margaretha Theodorica IX. Cliuiæ Comiti.

11. Anna I. nupta Hermanno Marchioni Brandenburgico, dein Henrico VI. Duci Vratislauiensi, qui Ducatum illum Ioanni Regi Bohemiæ transcripsit, Vratislauiæ sepulta.

Ducatus Vratislau. Silesiæ Bohemiæ accedit.

12. Gutha vel Iutha, alij Bonam vocant, nupta Comiti Oetingensi Ludoico.

Albertus II. fratrum minimus, *Sapientis* nomen tulit, item *contracti* à vestigijs hausti veneni, quod fraude cuiusdam medici in neruos diuerterat. Canonicum Passauiensem & Viennensem priuatus egit. Fratribus sine hæredibus defunctis superstes solus Apostolica auctoritate sacris, quibus initiatus, exsoluitur, & in Augustæ stirpis propagationem incumbit, ducta Ioanna filia Vdalrici vltimi Ferretarum Comitis, mortui Anno Christi 1324. succedentibus Austriacis, qui alteri sorori Vrsulæ VIII. ducatorum millia numerantes, comitatum illum cum tota Suntgouia & alijs ditionibus Ferretanis adierunt. Anno Christi 1350. Ioannes II. Comes Habspurgensis stemmatis Lauffenbergici, agnatus, Tigurum nocte quadam intempesta occupare nititur, sed re detecta à ciuibus partim profligati, partim cæsi, & ipse Comes captus est. Albertus itaque clientis & agnati restituendi gratia, Anno Christi 351. bello Tigurinos adoritur, qui pacto cum Lucernatibus Vrijs Suitijs & Vndervvaldijs fœdere non incautè rem agunt. Austriacos ad Tatuillam fundunt, Arcem Habspurgicam fere demoliuntur, Glaronam & Tugium sui iuris faciunt, frustra coram Carolo IV. Cæsare expostulante Alberto. Pax tamen Anno Christi 1355. Caroli IV. auctoritate in Comitijs Ratisbonensibus ita coaluit 24 Iulij, vt confœderati saluis eorum fœderibus de-

Ferretarũ comitatus Austriæ accedit. Tigurum Heluetiorum pagus confœderatis iungitur.

bus debita solitaque obsequia Austriacis præstarent. Et hic Heluetiorum progressus. Hanc pacem Albertus sequenti anno confirmauit, & fœdus in quinque annos cum ijsdem pactus est, & hoc vnum bellorum eius. Alterum cum Ioanne Rege Bohemiæ gessit, ob comitatum Tyrolis, quod nuptijs filij Rudolphi cum illius nepte sopiuit. Tertium Venetum, ob arces aliquot & castella in Marchia Taruisiana sibi prærepta, quod Principum atque Regum conuentu Viennæ Anno Christi. 1357. est compositum. Quartum Wirtembergicum, cum Eberhardo comite, suis cognatis Alberto & Rudolpho auxilio veniens Comitibus in Habspurgh & Hagerloch, quod totum negotium pacifice ad Cæsarem positis armis appellando, transegit. Gemmingense Cænobium Carthusianorum iam ante cœptum perfecit. Obijt Anno Christi 1358. 22. Iulij, ibidem cum coniuge sepultus. Rappervvillam totumque illum comitatum emptum à Ioanne agnato Habspurgico ditionibus suis adiecit. Princeps grauis, & prudens, & eruditus, qualis & eius coniunx, ideoque Eruditiores coluit. Sex autem liberos ex Ferrettana sustulit.

Bella 4. Alberti sapientis.

Gemmingen'em Carthusiā perfecit.

Amator virorum doctorū, uti & cōiunx.

Primogenitus filiorum fuit Rudolphus IV. *Magnanimus, Ingeniosus, Fundator* appellatus ex eiusdem voluntate, eodem defuncto. Austriacas ditiones omnes (in quibus, & omnibus illarū priuilegijs, suo ac FFr. nomine ab Imp. Carolo IV. cuius filiam Catharinam duxerat, anno 1360. confirmatus est) interuentu tamen fratrum (qui tum mos solemnis Austriacis erat) rexit. Pacem fædusque inter Albertum patrem & Tigurinos anno 1355. factum seruauit. Lacum Tigurinum à Rappersuilla vsque ad Hurdenum vicum ponte 1850. passuum strauit. Marchiam Taruisianam, & alia quædam loca, de quibus cum Venetis contentio erat, beneficio Imp Caroli IV. accepit. Ex donatione Margarethæ Maultaschiæ, vna cum FFr. Tyrolim & regionem Athesinam adijt Anno Christi 1363. factusque est familiæ huius Comes Tyrolensis in ordine & nomine primus. Cæsarem socerum in Italiam comitatus obijt Mediolani ex febri, 6. Cal. Aug. Anno Christi 1363. Aet. XXVI. Sepultus Viennæ in S. Stephani æde, quam Cathedralem fecit, turris etiam eiusdem fundamenta fecit Anno 1363. quæ anno 1437. absoluta est. Rudolpho mortuo Albertus III. cum Leopoldo fratre aliquamdiu simul rebus præfuerunt, sed, orta tandem inter illos simultate, prouincias partiti sunt.

Tyrolis Comitatus Austriæ accedit.

I. Comes Tyrolēsis.

Cathedralem Ecclesiam S. Stephani Viennæ effecit.

2. Albertus III. 3 Leopold. 4. Fridericus V ἄγαμος in Venatione à domino de Pottendorff occisus Anno Christi 1362. *splendidus* cognomine. Viennæ in Crypta sepulchrali, vti communi familiæ Mausoleo à Rudolpho IV. fratre ædificata, ad D. Stephani tumulatus.

5. Margareta I. Austriaca, nupta Meinardo Boio, anno Christi 1354. Ludoici

vnico herede diu stetit. Anno Christi 1422. Elisabetham vxorem duxit filiam Cæsaris Sigismundi, quo sine masculaprole decedente Anno Christi 1435. ipse ad Albam Regalē vna cū coniuge ipsis Kalend. Ianuarij Rex Vngariæ eligitur & coronatur. Nonis Maij Rex Bohemiæ renunciatur, & Frācofurti Rex Romanorum & Imperator eligitur, ac de more Aquisgrani coronatur. Exinde cū exercitu Bohemiam ingressus & Pragæ 3. Iulij coronatur cum coniuge. Cui cumprimis Henricus Ptasco, Georgius Podiebradius aliique regni Proceres, Casimirū Poloniæ Regem ad coronam euocantes, resistebant. Peracta Coronatione illico in Ptasconem & complices mouens, illos in ordinem redegit Vladislaū Polonum, Casimiri filium magno cum milite Bohemiam inuadentem repedare inglorium compulit. In Amurathem Turciæ Tyrannum, numerosissimo exercitu Hungariam inundantem, & expugnantem Sinderoniam maximas copias eduxit, cuius ille aduentu perculsus turpiter retrocessit, vt suas copias exauctorare coactus fuerit, & in reditu cū sub insolito feruenti Caniculæ æstu, melonum ac peponum esu nimio, profluuium alui cōtraxisset, morte inexpectatissima apud pagum Longam villam; vulgo Nemel dictam, est interceptus quadragenarius. VI. Kalendas Nouembris A. C. 1439. Sepultus in Regum Mausoleo Albæ Regalis: cum Regnum Hungariæ administrasset annum vnum, menses nouem, dies 27. Romanum annum vnum, menses octo, dies totidem: Regnum Romanorū sesquibiennium, subductis diebus decem. Ex Elisabetha Sigismundi Cæsaris filia sustulit tres proles.

Rex Hungariæ coronatur.

Rex item Bohemiæ & Romanorum.

Amurathē fugat.

Moritur ex alui profluuio.

1. Annam vxorem Guilielmi III. Ducis Saxoniæ Reinhartsbrunni inhumatam A. C. 1462. 2. Elisabetham, Casimiri Poloniæ Regis Consortem, A. C. 1504. ex humanis abeuntem 3. Ladislaum Posthumum, natum Albæ A. C. 1440. 20. Februarij qui quadrimestis vna cum Matre, rara temporum felicitate, in fascijs etiamnum vagiens coronatus fuit, quem mater asportata Regni corona, quæ S. Stephani Regis fuerat, ad Fridericum IV. Cæsarem adduxit, sub cuius cura fuit educatus vsque ad annum 1452 quo ipsū Austriæ Cæsar restituit. Vngari post abductum Regem, Vladislaum Polonum in Regem eligunt, quo ad Varnam cæso, rursum Ladislaum eligunt cōfirmantque, constituto Prorege Ioanne Coruino Hunniade. Bohemi quoque duos, pari exemplo legatos, cum regia potestate instituunt, videlicet Henricū Ptasconem & Meinardum à noua domo: mortuo Ptascone, Georgium Podiebradium substituunt sub cuius tutela regnum fuit annis XVII, vti Vngariæ Regnum fuit sub Coruino annis XII. Restitutus Austriæ, Posonij coronatur secundo A. C. 1453. ab Vngaris sub finē Ianuarij: & à regni Hungarici Ordinibus accipit Sacramentum. Eodem anno quoque Pragæ Rex Bohemiæ 25. Nouembris. A. C. 1458. Magdalena Francica Caroli VII. filia, Ludouici XI. soror absenti despōsatur Caroli VIII. amita. Ideo Legationē in Franciā destinat, 700. equitū excultissimorum, & virginum illustrium nobiliumque 400. deducendæ sponsæ Regiæ causa, quibus multi currus, ac lectica erant: 80. equi niuei adiecti aliaque regia munera. Interim Ladislaus improuiso correptus morbo, seu pestis, seu veneni pharmacum cuius valida fuit suspicio, illum excitarit, in solemnissimo nuptiarum apparatu, nōdum visa Regia sponsa Valesia, in ado-

Coronatur Rex in fascijs Ladislaus Hūgariæ.

Poloniæ Rex pro infante coronatur.

Cæso Vladislao Polono rursū coronatur Rex Vngariæ & Bohemiæ.

Despōsatur ei filia Caroli VII Valesij, Regis Franciæ.

Moritur nondum vxore ductâ.

in adoleſcētiæ flore, & naſcētis gloriæ culmine , grauiſsimo totius Europæ luctu moritur. X. Kal. Decembris A.C. 1458. ibidem in monte S. VVenceslai more regio tumulatus. Illo mortuo inaudito apud antiquitatem exemplo, Bohemi neglecto primæuo Regũ ſanguine, ſiue illi virilis ſeu muliebris ſexus fuerint, Georgium Podiebradium Regem elegerunt, vti & Vngari Ioannem Coruinum. Ab obitu Ladislai Fridericus IV. Imper. Auſtriam adijt, non ſine grauiſsimo tumultuum bellorumque multorum ſemine inter Albertum fratrē & Prouinciales excitato, vti ex alienatione duorũ regnorũ, à domo Auſtriaca elucescit.

Ambo regna ab auito ſanguine ad exteros tranſeunt.

Leopoldus III. Alberti *II.* filius. Rudolphi *IV.* & Alberti *III.* frater, cognomēto *probus* & *militiæ decus* appellatus, Dux Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Princeps Sueuiæ, &c. cũ Alberto fratre paternas prouincias partitur, quod ob multitudinem proliũ anguſtiorē portionē ſibi cecidiſſe prætenderet. Fœdus cũ Tigurinis à Patre factũ ab initio ſtatim gubernationis ſuæ in *7.* annos excēdit, ab AEgone Comite Aduocatiã Friburgi Briſgoiæ, à Rudolpho Montfortio Veltkirchens. Comitatũ: ab Alberto Comite VVerdenberg. ſ. Plu lent. Sargant. & ſacrũ mōtē coemit, & Auſtriacis ditionibus adiecit. Taruiſium, Belunum, Sarauallum, caſtrum D. Victoris, & vtrumq; Cænadiũ, & clauſtra illac in Italiã ducentia, ſub an. 1379. vltro ſibi tradita, ipſi Carrario certa pecuniæ sũma tranſſcripſit; malo vtiq; cõſilio, quod ea cõmoditate fretus paruo labore totum Forũ Iuliũ ſibi & Poſteris vindicare potuiſſet. Duo bella maxima rei militaris peritior quã felicior geſsit. Prius cũ Venetis ob Marchiã Taruiſianã, in quo victor amplis & opulētis per Forũ Iuliũ & Iſtriã ciuitatib⁹ auitas poſſeſsiones auxit. Poſteri⁹ cũ Heluetijs, qui à fide Auſtriaca defecerant, vbi A.C. *1485.* à Tigurinis Rapperſvilla tētatur, à Lucern. ſibus (vti ex Mulnero refert Pieſpordi⁹) ex inſidijs Rotenburgum, deditione Sempacum, violenta manu Meyenburgum occupantur, ipſo induciarum tempore. Ideo ad arma & ipſe concurrens Leopoldus Sempacũ ducit, quo confluentibus, quoque fęderatis Heluetijs Leopoldus incautius ex hoſtium contemptu & temerè prælium ad Sempacum committens, in prima acie fortiter occubuit, cæſa cruētiſsimo prælio nobilitate primaria. A.C. *1386. VIII.* Iulij. Cadauer eius, & multorum Comitum, Baronum, Nobilium Regiocampum delata tumulantur. Proles eius ſeptem numerãtur.

Auſtria Friburgi Briſgoiæ aduocatia & comat. Veltkirch. lēſis & alia accedunt.

Victor de Venetis.

In acie cadit.

Primogenitus VVilhelmus I. cognomento Aulicus, ex veterũ priuilegioru auctoritate gubernacula capeſsēs, Ambitioſi titulũ accepit. In aula Ludoici I. Hũgariæ & Polonię Regis educatus, ab eodē ob virtutũ mercedē, filiã Hedvvigen coniugē addici ſibi meruit, in quē finē aliquot ann. Viēnæ educata, tandē mortuo Patre, ad ſi vnũ mēſē à Procerib⁹ regni rapta Iagelloni Lituano vna cũ regno tradita eſt, & obiit *A* C. *1399.* (à quo Iagelloniaa Regũ Poloniæ ſeries). Auſtriã cũ *Alb. III.* patruo, mox cũ *Alb. IV.* patruele rexit, hocque in Palęſtina agēte ſolus, illoq; defuncto vt tutor *Alb.* V. inſtitut⁹ dit io-

Educatur in aula Poloniæ Regũ Jagellonica ſtirpis apud Polonos initium.

nes.

nes oẽs administrauit. Duxit mortua Hedvvige Ioan. Caroli Pacifici 1434. quæ Leonẽ educauit, & propria manu pauit. Obiit VVilhel. Pacifici Hũgariæ & Siciliæ Regis filiã, mortuam Viẽnæ 1407. ad D. Steph. sepultus, improles. *Ioanna Leonem educat.*

2. *Fridericus V. Senior, filiorũ Leopoldi natu minor, factus Tyrolensiũ Princeps, Heluetia ac Sueuia, fortis ac magnanimus Exarchus. Anno 1414. cum vrgente Sigismundo Ioannes XXIII. concilium Constantiense indixisset, ad Schisma in Ecclesia tollendum, & Pontifex sub fide Friderici eò venisset, subito metu correptus ex Concilio profugit, comitante illum & clam per lacum Venetum abducente Friderico. Quare à Sigismundo proscriptus in extremũ fortunarũ omniũ discrimen adducitur, omnibusq; ditionibus, fere mulctatur, adeo vt ab æmulis vernaculè* Friedel mit der lähren täschen. *Fridericus cum vacua crumena diceretur, quarũ aliquas reconciliatus Imp. recepit. Imperio tamẽ Schafhusium, Renifelda, Dissenhouen, & Cella ex eo tempore cesserũt. Tigurini comitatũ Kiburgensem ad Arolam hac occasione inuaserunt. Pagi veteres Bremogartũ & Mellingã: Lucernates comitatũ Rore, & loca ad Rusam cũ oppido Surseio: Bernates Zofingã, Arburgã, Arouiũ, Lentzburgum, Põtes seu Brugam sibi subiecerũt, adeo vt anno vno, sc. 1415. Austriaci antiquissimo & florentissimo illo familiæ dominio Vindonissensi in totũ ob fidem Pontifici seruatã exciderent. & proscriptioni Sigismundi Cæsaris optimi Principes obedirent. Ex cuius denuo testamẽto, & filiæ Elisabetha coniugio cũ Alberto V. Austriaco huius patruele, Deo sic disponente duo amplissima Vngariæ & Bohemiæ regna adierunt, & licet Iagellonici aliquamdiu mortuo, immaturo fato Alberto illa tenuerint, Austriacos rursum deuoluta sunt. Obijt Fridericus A. C. 1439. 23. Iunij. In eius coniugio fuit Elisabetha Bauaro Palatina Ruperti Romanorũ Regis filia ἄπαις mortua, dein Anna filia Ducis Brunsuicensis Friderici, ex qua suscepti liberi Elisabetha VI. à baptismate mortua. VVolfgangus I. Margaretha II. Austriaca. Heduigis II. & Sigismundus.*

Sedis Apostolica cultor insignis.

Fœderati Heluetij insignes dynastias Friderico adimunt.

Sigismundus I. Tyrolensiũ & Sueuiæ Princeps, Marchio Burgouiæ, Lantgrauius Alsatiæ &c. A. C. 1446. tutela exẽptus, nihil antiquius habuit, inter initia Principatus, quam amissa per parentem, aut armis aut iure recuperaret. Verum de successu desperans, & tantorum laborum pertæsus, ius suum quod habuit Carolo Audaci Burgundionum Belgarũque Duci bellicosissimo 70000. aureorũ MM. vẽdidit. Et hac caussa est, quare in Bellum aduersus Heluetios ducendum pertractus fuerit Carolus, à quibus bis cæsus, & tandem ad Nanceium occisus fuit, Terror ille Romani imperij & Regum Europæ. Post mortem Ladislai Hungariæ ac Bohemiæ Regis cum & ipse in partem hæreditatis veniret, socia arma cum Alberto VI. Ernesti filio arripuit, & Friderico VI. eius nominis IV. Cæsari Austriam omnem sibi vendicanti bellum intulit. Ab obitu Alberti patrueli Cæsari reconciliatus, Austriam vtramque ipsi transmisit, vno eiusdem quadrante contentus, sopitisque ciuilibus dissidijs cum Friderico & Heluetijs perpetuo se fœdere coniunxit, Anno Christi 1474 III. Kal. April. quod ad Salinum Burgundiæ III. Idus Iunij eiusdem anni renouatum est & confirmatum. Robertum Sanseuerinatem Venetorũ Campiductorem V. No. Iulij ad Rogerodũ magna strage fudit, &

Causa cur bellũ Heluetijs mouerit Carolus Audax.

Austria ad Frider. Cæsarem deuoluta.

duodequadragesimo post die, secundò in fugam versum in Athesi submersit. Sponsa eius fuit Radegundis Valesia Francica, Caroli VII. Gallorum Regis filia, mortua ante nuptias. Coniunx prior Eleonora Scotorum Regis Iacobi filia illiberis: posterior Catharina, filia Alberti animosi Ducis Saxoniæ, quæ ab obitu Sigismundi nupsit Erico Brunsvvincensi, etiam ἄπαις. Iam grandæuus Successorem instituit & hæredem Maximilianum I. Regem Romanorum, Cæsaris Friderici IV. filium, in omnibus suis Principatibus, cum præter ea, quæ in Friderico V. recensuimus, Tigurini Comitatum Rappervvillensem. Bernates Vchtlandinum, Burgdorffensem, & Ergouiam, & alij fœderati Heluetij Tirstainensem, Badensem, Dornecensem & Susgouiensem, Turgouiam cum alijs dominijs teste Lazio vsurparent. Mortuus an. ætat. 71. Anno Christi 1497. Oeniponti, pridie Non. Martij: & in monasterio Stamsiano sepultus.

Venetos bis cadit.

moritur ἄπαις.

3. Ernestus Ferreus stemmatis propagator.

Cur dictus Ambitiosus.

4. Leopoldus IV ab adipato corpore Crassus est cognominatus, & Ambitiosus, quod in Comitijs Imperij cæteros Principes omnes, Aulicorum maiestate, superasset, & multitudine, quod quinquaginta Comitibus & Baronibus stipatus esset, excepto vernaculorum satellitio. In Sueuia, nec non ab Alberti III. morte, vsque ad obitum VVilhelmi fratris, suo & fratrum nomine Tyrolensi ditioni præfuit. Tyrolensibus leges & statuta prouincialia instaurauit. Ab obitu VVilhelmi fratris in diuisione Sueuicas & Rhenanas prouincias, cum Burgouia Alsatia, Brisgouia, Ergouia, & ditionibus Heluetijs conterminis sortitus est. Alberti V. quoque tutorem egit, ex Procerum Austriæ arbitratu, quod fratrum natu maximus esset, vnde magni motus propter exclusum Ernestum fratrem, emanarunt. Sopito isto bello, in vltionem paternæ necis ab Heluetijs sumendam incubuit, cum quibus tamen varia fortuna sæpius conflixit, & parum profecit. Tandem in Castro Neapolitano octauo à Vienna lapide distante, & ab illo instaurato, obijt ex saniosa fistula, quam in crure habebat obducta. Anno Christi 1411. X. Kalend. Iulij, In Campo Regio inhumatus. Vxor Catharina Philippi Audacis Burgundiæ Ducis filia, quam etiam improlem fuisse alii referunt.

Princeps Tyrolensium.

Cū Heluetiis varia fortuna bellum ducit.

Moritur ex fistula improles.

5. Fuit Agnes Boleslao vltimi Duci Suidnicensi in Silesia nuptui tradita.

6. Elisabetha IV. Comiti Goricensi promissa.

7. Catharina VI. nupta Burggrauio Magdeburgensi.

Ernestus I. Austriacus. Ferreus à toroso corporis robore vocatus in diuisione ditionum paternarum Styriam, Carinthiam, Carniolam, & Marchiam VVandalorum sortitus est, cum VVilhelmus frater in humanis esse desijsset. Proscripti Friderici V. prouincias videns per Sueuiam & Heluetiam, ab hostibus & inuidis familiæ passim vsurpari, & obtineri, veritus ne omnia inuaderent, & à familia alienarent, Oenopontū à prouincialibus ex Styria accersitus aduolat, & Tyrolensem atque Athesinã ditiones occupa-

Cur ferreus dictus.

Friderici V. alienatas terras recuperat.

occupat A.C.1415. Legatos Sigismundi Cæsaris illas ex proscriptionis lege sibi cedi iubētis, irritos remittit. Cū fratre Constantia elapso illi ingens fuit dissidiū, quod A.C.1416.est compositū, Ordinū factione concitatum. Quāobrem eidem Tyrolensem & Athesmā ditiones restituit, & in Styriam reuersus omni ambitione ac tumultu procul, reliquum vitæ confecit, & octauo abhinc A C.1424. V. Idus Iunii è viuis excedit. Sepultus in Styriæ Rayn monasterio dicto, vno milliari Grazio distante A. C.1435. Princeps iustitiæ, Pacis, & pietatis amator specialis. Vxor prior fuit Margaretha filia Bugislai Pomezaniæ Ducis Stetinensis, Soror Elisabethæ vxoris Caroli IV. Cæsaris, ex qua Sigismundus Cæsar est procreatus, ex qua plures liberi suscepti sunt, omnes in Infantia extincti. Secunda fuit Cimburga filia Ziemoniti ducis Masouiæ ex Alexandra Sorore Regis Poloniæ Iagellonis suscepta, mortua A.C.1429. in Cœnobio Gilgenseldensi sepulta, quæ mater fuit decem liberorum, priore sterili existente vt aliqui volunt.

Fuit iustitiæ pacis & pietatis nomine clarus.

1. Ernesti II. 2. Rudolphi V. 3. Leopoldi V. 4. Alexandræ, 5. Annæ, 6. Friderici VI. 7. Alberti VI. 8. Margarethæ II. nuptæ Friderico II. Saxoniæ Duci & Electori illustri, quæ fuit mater Alberti animosi Ducis Saxoniæ, fortissimi Gubernatoris Belgarum sub Maximiliano I. & Philippo I. Regibus & Principibus Belgarum. 9 Catharinæ, quam Carolo I. Marchioni Badensi desponsarunt, illique Albertum peperit in Dammensi expugnatione occisum in Flandria sub Maximiliano I. relicto filio Bernardo, à quo Christophorus II. pater Eduardi Fortunati, & auus Guilielmi, Hermanni & Alberti, Marchionum Badensium hodie legitimorum hæredum. Secūdo peperit eadem Austriaca Ernestū à quo linea Pfortzheimēsis. 10. Elisabethæ V. nuptæ Comiti VVardēburgico.

Pater decē liberorū.

Marchiones Badēses vt ab Austriacis descēdūt.

Fridericus VI. inter Imperatores illius nominis IV. cognomēto Iunior & Pacificus, Archidux Austriæ, Dux Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Comes Habspurgi, qui se etiam Regem Vngariæ scripsit, natus Oenoponti A.C. 1415. IX. Kal. Octobris, ob præclarā generosi ingenij indolem, sapientiam, grauitatem morumque integritatem, post Alberti II. Cæsaris obitū luctuosissimū A.C.1441. communi Electorum voto Francofurti 30. Martij, ætatis 26. in supremo humani generis fastigio collocatus fuit & A. C. 1442. Aquisgrani 17. Ianuarij coronatur. Primus ex Augustissima Austriadum domo Imperator, qui Romam ad coronationem solemnem abierit, sedatis vtcunque motibus in Austria excitatis. Sponsam Leonoram Eduardi Portugalliæ Regis filiam, nauibus in Italiam aductam, Senis excepit. A. C. 1452. XVI. Kal. Aprilis matrimonium solemni ritu à Nicolao V. in D. Petri Basilica benedicitur, ac tertio die post Imperiali diademate coronantur. Fuit præclara, vt dixi generosi animi indole, sapientia, grauitate, morūque

Pacificus dictus.

Leonorā filiā Portugallia Regis ducit.

Primus Romæ ex Austriacis coronatur cū coniuge.



integritate spectatissimus, longamini agendorum cunctatione Fabius Maximus, pacis & otij in omni vita amātissimus, & ab omni discordia alienissimus. Multa, eaque grauia bella per Legatos cōfecit, quorum in numero est illud contra Armeniacos Gallorum colluuiē susceptum, qui vulgo Die armen geckgen vocabantur .i. pauperes moriones, à Galliæ Rege emissos, vt Basileensem Synodū disturbarent A.C. 1444. Itē duo alia bella grauissima cum Alberto fratre & Matthia Huniade Coruino Hungariæ Rege, in quibus iniquam satis fortunam & suorū summam perfidiam est expertus. Nā in arce Viēnēsi cū cōiuge Imperatrice & filio vnico Maximiliano à ciuibus conclusus, ab Alberto fratre quoque aliquot septimanarū spatio obsessus fuit. Dein eorūdē ciuiū proditione Matthias Rex Viennā ipsi eripuit, & in vrbe nouē continuis annis rapinas exercuit. Feliciter in Flādros & præsertim Brugenses militem eduxit, qui pessimo exēplo Maximilianū Cæsarē viduūMariæ vnigenitæ Caroli Audacis filiæ in custodia detinebāt. A.C. 1482. sumptoq; de paucis quibusdā cōiuratis supplicio omnē discordiarū fomitē sustulit. Linzij vt plurimū aulā habuit, vbi melonū intēperatiore vsu prostratus lāguidi & imbecilli stomachi viribus in dearrhoeam incidit, qua ex improuiso absumptus, expirauit X I V. Kal. septēb. A.C. 1493. Sepultus Viennæ in æde S. Stephani. Imperatrix vero obijt A.C. 1467. Neapoli Austriæ in choro Monasterij Cistercienslum sepulta. Compleuit vitæ annos duode octoginta, Imperij annos 53. m. 4. d. 20. Liberos ex Leonora quinque suscepit, Augusto Cæsari diuturnitate Imperij ante omnes alios proximus.

Obsidetur Viennæ à Rege Hūgariæ Coruino.

Mox filiū captiūBrugis liberat.

Moritur ex diarrhoea.

1. Christoph. I. natus A.C. 1455. Nouemb. obijt A. C. 1456. 16. . Ma tij.
2. Ioannes I I natus in ciuitate noua A.C. 1466. in vigilia S. Laur. obijt A.C. 1467. 15 Februa. vterque sepultus in ciuitate noua ante summū Altaretēpli primarij cū matre, & vna sororū, 3. Helena I. nata Viennæ 1460. ibidē sepulta. 4. Cūigundis I. nata 1465. Alberto IV. Bauariæ Duci nupta, 5. Maximilianus

Maximilianus I. natus Neapoli Austriæ A. C. 1459. die 22. Martij, de quo insignis hæc historia legitur quam circiter A.C. 1472. in Maio mense quidam contigisse putant.

Memorabile apud Geographos, vbi de comitatu Tyrolēsi, siue Oenipōto agūt, spelæū D. Maximiliani I. Augusti, tum adhuc impuberis, vbi nunc imago Crucifixi Seruatoris in lapide, quadraginta pedum altitudinis visitur, quæ præterambulantibus duorum tantum pedum esse apparet, in monimentum restituti filij à Friderico IV. parēte erecta, ex quo singulare religiosissimi cultus erga Sacratissimā Eucharistiā exēplū illi familiæ velut proprij colligitur. Ibat de more vēatū Princeps Maximilianus tredecennis, vt damas vertices montium & confragosa, rupium loca atq; in accessa amātes caperet, cūque immodico venādi æstu abreptus, incitatius fugiētibus damijs insi-

Exemplū cultus S. Eucharistiæ.

Venatur damas 5. Maxim.

insisteret, & de scopulo in scopulũ per lubrica accliuia, decliuia niteretur, in metuẽda præcipitia, & hiatus saxosos abripitur, despiciẽsq immanes descẽsuis humanitus fieri nõ posse vt iter relegat, deprehẽdit. Ibi tũ huc illucq; circumferẽs oculos infelix Princeps omnia præsentẽ mortẽ intentare videt, nec cuiquã culpã, nisi sibi ipsi tribuere temeritatis suę potest, quod aut fame moriendũ, aut pręcipiti lapsu vita illi proijciẽda foret. Supra se pendẽtes alpiũ minas, & immania pręcipitia, ad quę obtutus caligabat, infra se hiatus adeo formidabiles, & interuallũ pedum sexcẽtorum, per quod nulla nec industria nec arte dabatur ascẽsus. Aulici omnes & satellites anxij de inexpectata amissione Domini, cautibus ac lustris accessibilibus perlustratis, tãdẽ in eminentissimo scopulo stantẽ conspiciunt, ibi acclamato nomine Principis & agnito ingemiscere & lachrymari, crines reuellere, pectora tũdere & funestos eiulatus edere certatim Princeps & Aulici, quod cõsiliũ iuuãdi suppeteret nullũ. Iã dies duos & duas noctes solitarius & ieiunus exegerat, cũ ad mortẽ præparãdũ animũ, iuuenis religiosissimus, iudicat, vt si humana cõsilia deficiãt, cælitus meliora in angustijs supplex euocet. Itaque mãdat suis, vt illico Sacerdotẽ cũ augustissimo Eucharistiæ Sacramento aduocẽt, qui asportatũ viaticum, quandoquidẽ porrigere nequeat, saltẽ adorandũ ostẽtet ex loco proximo, vt si vitam trahere corporalẽ cibo negetur, nihilominus animam cælesti pane spiritualiter reficiat. Adducitur Sacerdos, Sacramẽtũ ostenditur, & Princeps in preces lachrymasque solutus Deũ propitiũ adorat, vt in faciem Christi sui respiciẽs, in extremis periculis se potẽter eripiat. *In præcipitium incautus fertur, regredi nequit.* *Petit videre solũ SS. Eucharistiã.*

Interea huius calamitatis fama crebrescente ingẽs clamor & planctus omniũ exoritur, suauissimorũ cũprimis parentũ, quem vnicam posteritatis spẽ habebant, omnium vrbium ordinumque, ob miserabilem casum sui principis, cuius indoles & virtutum tyrocinia, diuinitus datum Principem esse præferebant. Indicuntur preces & sacrificia pro incolumitate Maximiliani, ad altaria procumbitur, coram cælesti curia vota geminãtur, & ecce Dei Misericordiam, quam exorarant, sentiunt. Stãte itaq. in eminẽtissimo scopulo Principe, atq; in cælestibus solum curã animumq; figente, omni vitæ honorumq; maximorum spe abiecta, à longe strepitũ inter frutices dumosq ac saxeas crepidines audit, & peronatũ agricolã ignotũ arrepere videt per cõfragosas scissuras enitẽtẽ, & remouẽtẽ grãdiores lapides, descẽsũ obsidẽtes. Cũque proximus esset Principi porrecta dextra ita alloquitur. Animæquior esto Princeps, & in virtutibus exulta, liberator tuus in auxiliũ, aduolat pone timorẽ, ego te quãtocius in securo sistã. Mox præeũtẽ secutus singulari mẽtis solatio latiorem & cõmodiorẽ viã nactus incolumis ad suos reuertitur. Ibi tota nobilitas & Aula cũ suauissimus parẽtibus reducẽ osculis & amplexibus excipiunt adeo vt ductor euanesceret, multũ ipso Principe virum seu *Liberatur miraculose.*

adolescentem illum requirente inter tot salutantium greges, & gaudij improuisi argumenta. Aulici in equo pallentem & ieiunum collocantes, domum incolumem perducunt. Imperator Fridericus sequenti luce edictum euulgat, quo adduci iubetur iuuenis ille ignotus, cui insigne donatiuum adornasset, at nemo cōparuit, vnde diuinitus Angelum missum esse custodem omnes passim iactabant, qui præsentissimæ morti Principē; subduxisset columnam domus Austriacæ alteram post Rudolphum I. futurum. In cuius rei monumentum per latomos viam præparari & perpurgari iussit, atque imaginem Crucifixi in ore spelæi illius, ad memoriam viatorum reponi. Meminerunt huius duo Poetæ non orthodoxi, vnus anonymus.

Angelum fuisse putarunt.

Imago Crucifixi in memoriam facti erecta.

Postea rore leti virides Tithonia campo
Sparserat ad scopulum cursu peruenimus altum
Hic vbi sectatus ter Maximus AEmilianus
Alta in rupe capras, finisset turpiter æuum
Ni Deus ad maiora virum seruasset opemque
Auxilio agricolæ pene ipsa in morte tulisset.

Alter Georgius Sabinus in itinerario suo.

Iamque tenebamus qua spumifer æstuat Oenus
Ardua carpentes sub iuga Montis iter.
Cuius in abrupto per noctes vertice Cæsar
Diue tuus quondam Carole sedit auus
Syluestres quando capreas, damasque bicornes
Ausus in aeriâ figere rupe fuit
Culmen & ascendit iuuenis temerarius, vnde
Cum vellet potuit non reuocare gradum

Atque hinc colligere est, vti Rudolphus sui Imperij fundamenta in cultu S.ma Eucharistiæ iecit, sic quoque Maximilianum eiusdem propagationem in eiusmodi supplici veneratione posuisse. *Anno ætatis* 18. *Mariam Burgundam Caroli Audacis filiam, totius Belgicæ hæredem ducit. Anno Christi* 1486. *a Patre in Imperij consortem, veteri multorum Cæsarum exemplo, aſcitus, & Principum Electorum vnanimi consensu electus est Francofurti XIII. Kalend. Martij & 3. Idus Aprilis Aquisgrani coronatus. Ab ipsis statim nuptiis animum ad constituendum Reip. statum adiecit feliciter, & Ludoicum vndecimum Galliarum Regem Artesia & multarum aliarum ditionum dotalium occupatorem violentum bello adoritur, ablatas recuperat, pacem reddit. A.C.* 1478. *prima Comitia aurei velleris Brugis Flandriæ celebrat, vti Princeps illius ordinis & caput. Princeps omnium virtutum genere conspicuus, Dei legumque humanarum ac diuinarum obseruantissimus, vita, innocentiâ, temperantia, voluptatum abstinentia, laborum tolerantia, generosi spiritus inuictique animi magnitudine*

Ducit filiam Caroli Audacis. Inde Duces Burgūdiæ Austriaci.

1. Comitia aurei velleris in domo Austriaca.

magnitudine omnibus illustrior, litterarum & litteratorum amantissimus, multorum idiomatum linguarumque gnarus, adeo vt omnibus populis sine interprete iura diceret ac responderet, item multis ac maximis victorijs de Gallis, Eburonibus, Belgis, Sicambris, Batauis, Morinis, Hungaris, Bohemis, Turcis, Venetis, Heluetiis nobilitatus. Etenim ad Guigenctam Picardiæ vicum Gallorum 30. millia profligauit. Hannoniæ permagnam partem vna cum Cameraco Imperiali ciuitate recepit. Atrebatum Artesiæ Metropolim egregio stratagemate hostibus extorsit, per nocturnas insidias hostium excubijs deceptis, Anno Christi 1456. A morte Matthiæ Huniadæ Coruini, Regis Hungariæ apoplexia Viennæ mortui, Anno Christi 1490. 6. Aprilis: quo die & detenti Budæ leones interiere, milite in Belgio conscripto non solum auitum patriumque Principatum, genitori suo per suorum insidias ademptum à Matthiâ insigni gloriâ recuperauit, sed & Albam Regalem vrbem nobilissimam, aliasque Hungariæ expugnauit, & Vladislao II. Polono Bohemiæ Regi reddidit, solo successionis iure sibi retento. Anno Christi 1490. Immo, Anno Christi 1515. cum eodem plenè de mutuo liberorum coniugio nepotumque, ac renouato successionis iure in regnis Vngariæ ac Bohemiæ Viennæ transegit. Anno Christi 1492. ingentem Turcarum colluuiem, Carniolam, Ciliensem ditionem, Styriam, Carinthiam igni ferroque late depopulantes fugauit & repressit. Heluetios rerum successu nimium ferocientes, Alpium suarum finibus circumscripsit, ipsisq; pacis ac fœderis perpetui conditiones dixit. Anno Christi 1490. Philippum Palatinum Septemuirum florentissimis Bohemorum copijs instructum magna clade affecit, & supplicem sibi fieri coegit. Anno Christi 1504. Carolum Egmondanum Geldriæ ducem rebus nouis studentem compescuit, Geldriaque in deditionem acceptâ, Belgas aliquos tumultuosa factione turbulentos, & noui Principis Philippi filij imperium contumaciter detrectantes, per octennium fere expugnatis aliquot vrbibus adeo attriuit, vt reliqua domitarum vrbium exemplo territa, vltro iugum Imperij acciperent, vt Tornacum Neruiorum, Terouana Morinsium & aliæ. Cum Venetis trina bella gessit, funesta admodum, nec tam armis, quam perfidia Principum inuoluta, auspicatò tamen. Primum, *quando in auxilium patruelis Sigismundi Archiducis aduolauit. vt i supra.* Secundum, *vno & viginti annis post primum inchoatum, initio quidem cum maximo Austriacorum detrimento, amisso Foro, & Iulio ditione Goriciensi totâ: at posterioribus annis commutatâ fortunâ, amplissimis victorijs iacturam illam restituit, amissa recuperando, & opulentissimas Venetæ Reip. vrbes, Veronam, Patauium, Vicentiam, Feltrium suis prouincijs adijciendo.* Tertium *quando Anno Christi 1513. ad Vicentiam hostes pene omnes internecione deleuit, solo Andrea Grutto cum paucis fugâ salutem quærente. Iulij II. exercitum ad Bononiam Anno Christi. 1511. omnibus castris direptis superauit. Mediolano eiectum Sfortiam Ducem per Gallos, fortissime restituit, & grassantes per Germaniam latrones cum castris & latibulis sustulit & excidit, alijsque heroicis editis facinoribus immortalitate dignissimus*

Bella varia.

Ius successionis in regnis Bohemiæ & Vngariæ sibi reseruat.

Tria eius bella cum Venetis.

nissimus annorum laborumque plenus obijt Anno Christi 1519. 12. Ianuarij: ætat. 60. Imper. 33 VVeltzij ex malignante febri, reliqua vide in Sceptro Regali. Prima vxor fuit Maria Burgunda, Caroli Audacis filia, vnica nata Anno Christi 1457. Idib. Februarij, quam duxit Anno Christi 1477. 18. Augusti, obijt ex equi lapsu, inter venandum incautior, contractaque febri, cum præ amore pudicitiæ, nollet à Medicis affectas partes conuulsasque videri, nedum tractari, obijt Brugis Anno Christi 1482. ætat. 25. ibidem ad D. Virginis sepulta. Altera Blanca Maria filia Galeacij Mariæ Sforciæ Ducis Mediolanensis ducta Oeniponti Anno Christi 1494. quæ in dotem attulerat quadringenta aureorum nummûm millia, & pro mundo muliebri alia ducenta millia. Anno Christi 1502. inter venandum, vt Maria Burgunda equo lapsa iam grauida, vnâ cum fœtu vitam reliquit. Sepulta in monasterio Stambsiano. A cuius obitu viduus vixit vsque ad obitum, immensosque labores pro nominis Austriaci Imperijque dignitate asserenda, exhausit. Tertiam desponsauit sibi Annam Francisci vltimi Britanniæ citerioru filiam vnicam, sed quam Carolus VIII. Rex Galliarum repudiata Margareta filia ipsi præripuerat. Liberos ex Burgunda tres sustulit. Vide Gretserum & Pighium de exemplo V. Sacramenti.

Alteram vxorē habuit Sforciæ filiam pecuniosissimam.

1. fuit Philippus I. stemma propagauit.

2. fuit Franciscus, cui tale ad D. Iacobi Bruxellæ, vbi sepultus est extat epitaphium. Francisci Diui Maximiliani Imperatoris. Cæsaris semper Augusti filio, Philippi Hisp. Regis Catholici, & Serenissimæ Margarethæ fratri Germano, qui natus Anno Christi 1481. cum vixisset menses quatuor, fatis concesit.

3. Margaretha IV. Austriaca, ab auia materna Burgunda nomen sortita est, nata Anno Christi 1480. Bruxellæ. Trima Carolo Delphino Franciæ desponsa Ludoici XI. Galliarum Regis filio, quam Anno Christi 1493. inuiolatam remisit: quæ Anno Christi 1497. mense Aprili Burgis Ioanni Ferdinandi Regis Catholici filio nupta fuit, qui eodem anno vitâ functus est, & illa in Belgium rediens vidua, Philiberto Sabaudiæ Duci Anno Christi 1501. coniugatur, quo Anno Christi 1505. etiam moriente improle (adeo infelix in connubijs fuit) gubernatrix Belgarum nomine Caroli Regis instituitur, & Mechliniæ sedem fixit, vbi & naturæ debitum exoluit Anno Christi 1530. Ætatis 52. demptis diebus 41. Corpus Burgis prope fratrem conditum. Cor Brugis Flandriæ, viscera Mechliniæ inhumata, prudentissimè præfuit. successit illi in regimine Maria neptis.

Margareta Soror Phil. I. infelix in connubijs.

Philippus primus cognomento *Pulcher* Rex Castellæ & Legionis &c. Burgundionum Belgarumque Princeps natus Brugis Flandriæ Anno Christi 1478. decimo Kalend. Iulij. In ducem Brabantiæ Anno Christi 1494. Louanij & per reliquas Belgicæ prouincias inauguratur, & gubernaculis sedecennis admouetur, insigni mansuetudine, clementia, affabilitate, moderatione adeo eluxit, vt non modo subditorum, sed Principum Regumque amicitiam sibi acquisiuerit, & notabili epitheto *Amor ac delicium generis*

Philip. I. dictus A... & de... hu... ge...

neris humani passim diceretur. Quos inter Ferdinandus Catholicus Rex, filiam illi secundo genitam desponsans Ioannam Austriacam, domum Castellæ ac Legionis, Siculo ac Neapolitano regnis dotauit. Mortuo Michaele Lusitano cum vxore Bruxella per Franciam in Hispaniam pedestri itinere proficiscitur, & An. Christi 1502. vigesimasecunda Maij Toleti Castellæ, & 25. Octobris eiusdem anni Cæsar-Augustæ ab ordinibus Arragoniæ, vti maritus, & vxor velut hæres regnorum iuramentum accipit, & decimanona Decembris, relicta apud parentes coniuge (quæ absentiæ mariti pertæsa illico eundem secuta fuit) ex Hispania per Franciam, Sabaudiam, Heluetiam, Burgundiam, Germaniam diuertens, tandem in Belgium venit Mechliniã ad liberos, & Anno Christi 1505. defunctæ Isabellæ Socrus exequias Bruxellæ ad D. Gudulæ celebrat, ijs peractis per legatum Castrensem scipione in terram proiecto, alijsque ritibus Rex *Castellæ* ac *Legionis* proclamatur, & octaua Nouembris cum coniuge in Hispaniam pergit, cum Socero Rege, qui relicta Hispania Neapolin se recepit, & octauo Nouembris proximè sequenti de Regni administratione transigit, & illius procurationem adit. sed vix adit, cum Burgis vrbe Castellæ ex ardenti febri hac vita abit, quam ex aeris insueti grauitate contraxerat. vii. Kalendas Octobris Anno Christi 1506. Imperij Belgici anno xij. ætatis xxviij. Intestina ibidem, cor Brugis Fland. conditum. Ab obitu Philippi redijt in Hispaniã Ferdinandus Catholicus, eamque ad mortem vsque pro Carolo nepote rexit. Ex Ioanna sex liberos sustulit.

Austria Castella & Legionis Hispaniarum regna accedunt. Itẽ Sicilia ac Neapolis.

Moritur Burgis in regno Castella ex febri.

1. Carolus V. 2. Ferdinandus I. quorum vterque stemma propagauit.

3. Leonora I. Austriaca, Portugalliæ & Franciæ Regina, nata Anno Christi 1498. Vigesima quarta Nouembris Louanij. Primo Emmanueli Lusitaniæ Regi, quo mortuo Francisco I. elocata est sub initium anni 1530. & mense Maio sequenti ad D. Dionysij coronatur. Vidua facta ad fratrem rediit in Belgium, & cum eodem Anno Christi 1556. in Hispaniam profecta moritur iv. Nonas Septembris, quo & Cæsar Carolus, ad Pacem Augustam vulgo Badaios. Cuius cum Francisco I. matrimonium magnæ pacis & firmæ putabatur augurium, verum spe frustranea inter vtrumque monarcham, quos grauia bella magis disiunxerunt.

Leonora 2. Regum coniunx.

4. Isabella seu Elisabetha VIII. Austriaca Regina Daniæ, nata Bruxellæ Anno Christi 1501. nupta Christiano II. seu Christierno II. quem Fridericus I. patruus vna cum vxore & liberis regno expulit. Obiit illa Gandaui Anno Christi 1525. ibidem apud D. Petrum sepulta, fidissima comes exilii maritalis, fideique coniugalis inter aduersa exemplar nobile.

Fidei maritalis exemplar.

Maria Hungarica Belgarum Gubernatrix.

5. Maria I. Austriaca, Hispaniarum infans, Hungariæ & Bohemiæ Regina, nata Bruxellis 3. Septembris A. C. 1505. Eodẽ anno 1521. quo frater Ferdinandus Lintzii Annæ, ipsa Budæ eiusdem fratri nupsit 20. annorum iuueni Ludoico Iagellonicæ stirpis Vngariæ & Bohemiæ Regi, quo A C. 1526. die 29. Augusti ad Mohatzium oppidum cum copiis cæso (à paludibus enim haustus erat cum equo, & à latronibus Vngaricis, à quibus agnitus, spe pecuniæ interfectus, ad Ferdinandum fratrem reuertitur in Austriam. Exinde à Carolo V. in Belgium Anno Christi 1530. euocata Belgarum Gubernatrix constituitur, quæ domi militiæque Viraginem omnium virtutum titulis cumulatissimam sese præbuit, vt legere poterit Lector in historia mea Belgica libro primo. Obiit Zigali A. C. 1558. quo frater & soror Leonora.

Silesia venit ad Ferdinãd. I. hoc anno caeso Ludoico.

6. Catharina, Posthuma, Friderico III. Saxoniæ Electori desponsata: at mater religionis orthodoxæ iacturam metuens in filia renunciauit, & Ioanni III. Lusitaniæ Regi coniugatur, eodem anno, quo Carolus frater Isabellam sororem Ioannis duxit. Anno Christi 1526. Nata est Turrecrematæ à morte Patris XV. Ianuarii Anno Christi 1507.

Carolus V. Sol domus Austriacæ, & Augustorum.

Carolus V. natus A. C. 1500 Gandaui, Flandriæ 25. Februarij, denatus Anno Christi 1558. 21. Decembris, ipso D. Matthæi, ex tertiana febri. Sepultus Granatæ iuxta matrem, auum, & auiam maternam. Cæsarum & Regum in domo Austriacâ Sol. Vxor eius Isabella filia Emmanuelis Lusitaniæ Regis, quæ Toleti in Lusitania, in puerperio quadragenaria, decessit, etiam Granatæ sepulta. Vide Sceptrum Regale cap. tertio. *Imperauit an. 36. vixit fere 59. liberos habuit.*

Princeps Belgarum inauguratur.

Philippum II. Hispaniarum Monarcham & Indiarum, natum Vallisoleti A. C. 1527. 21. Maij. An. C. 1549. Ex Hispania ad Patrem Cæsarem in Belgium veniens V. Idus Iulij, Louanii in Brabantia Ducem, indeque per reliquum Belgium inauguratur. Anno Christi 1551. quo Turcæ Tripolim sub vexillis Francicis in Palæstina occuparunt in Hispaniam redit. An. C. 1554. Mariam Anglicanam Henrici VIII. filiam duxit, cum qua in Anglia ad annum Christi 1555. vixit, à quo in Belgium euocatus, in pleno ordinum consessu, prouincias illas omnes, vti & regna Hispanica, Italica, Indica in solidum adiit. Anno Christi 57. Henricus II. Galliarum Rex, instigante Paulo IV. Caraffa Pont. Max. vt aliqui volunt, inducias cũ Cæsare & Philippo factas interrumpit, & misso Guisio regnum Neapolitanum inuadit, cui Philippus Albanum ducem opponit, ipse interim cum XV. MM. equitum, & LX. millibus peditũ in Veromanduos irrumpit ad D. Quintini sanguinaria pugna Gallos profligat, occupat oppida, expugnat, tanto numero, vt Guisium ad proprium regnum defendendum, & ab alieno inuadendo abstinendum reuocarit (vide historiam Belgicam) magna strage ad Grauelingam Gallos attriuerit, & ad pacem petendam compulerit.

Ducit Mariam Angli Henric. VIII. filiam.

Gallum vincit.

lerit. Anno Christi 1559. 3. Aprilis pacem cum Henrico II. Cambresii fecit, ex cuius legibus Franci quicquid hactenus per Sabaudiam, Lucemburgicos, Pedemontanam, Montisferretanam & Senensem ditiones, per Tusciam, Insubriam & totam Italiam tenuere, deseruerunt. Sicque Italia tandem Anno Christi 1291. à quo illam Franci, Duce Carolo Andio Siciliæ aduersus Conradinum Rege constituto ingressi sunt, & regnum Neapolitanum ad Austriacum sanguinem transiuit, &c. Austriacis auspiciis pacem accepit. Prouinciis Belgicis singulos Proprincipes & Proreges, uti & Margaretham Parmensem sororem notham Supremam Gubernatricem dedit. Grauissimum bellum à fœderatis Ordinibus excitatum Anno Christi 1566. sub diuersis ducibus gessit, & quadraginta ac pluribus annis sustinuit, quibuscum illi non sola res fuit; aduersus auxiliares quoque depugnandum, Gallos, Anglos, Germanos, Protestantes, aliosque complices clam aut palam rebellionis illius nutricios. Interea quæ cum aliis bella intercesserint, dum Belgas oppugnat, notum est. Anno Christi 1568. Melitam obsidione Turcica liberauit. Anno Christi 1569. rebellionem Maurorum Granatensium sedauit, Anno Christi 1571. Pontifici & Venetis confœderatus per fratrem Ioannem Turcas ad Echinadas prælio nauali debellauit. Anno Christi 1580. bellum Lusitanicum gessit & confecit. Anno Christi 1581. &cat. diœcesim Coloniensem religionis orthodoxæ seruandæ & asserendæ studio, contra Truchsesium Apostatam & hæreticum defendit. Anno Christi 1591. & 2. tumultus Arragonum sopiuit, & admiranda alia edidit, quæ impossibile est huic breuitati inserere. Certè tota vita religiosissimi Regis, & sane iustissimi, non nisi militia & lucta fuit, cum iis, qui Ecclesiæ, familiæ, religioni orthodoxæ, ac diuinitus datæ potentiæ hostes sese ferebant & æmulos. Paulo ante mortem Elisabetham Claram Eugeniam Belgis Principem, Alberto nepoti Archiduci vxorem dedit. Mortuus Anno Christi 1598. 13. Septembris, ætatis anno 72. sex proles ex diuersis vxoribus sustulit. Vxores autem habuit quatuor 1. Mariam Lusitanam ex qua ille Carolus II. Austriacus Hispaniarum infans, 2. Mariam Anglicanam, improlem, quæ ex Catharina matertera, filia Catholici Regis Ferdinandi nata fuit. 3. Elisabetham Valesiam, Franciscam: IV. Annam Austriacam Max. II. filiam.

Gallos tota Italia summouet. Belgis dat proprincipes. Cum quibus bella gessit. Item Anglis, Germanis Protestantibus Truchsesio Coloniensi Turcas ad Echinadas prælio nauali superat. Rex iustissimus per omnia.

1. Carolus III. Austriacus, Hispaniarum Infans cognomento dentatus, natus Vallisoleti octauo Iulii Anno Christi 1545. Madridii vitam posuit in ipsa vigilia Sancti Iacobi Apostoli, Anno Christi 1568. ætatis 23. corpus depositum in monasterio Regio D. Dominici eiusdem vrbis; & hic ex prima coniuge solus.

2. Elisabetha Clara Eugenia hoc nomine XI. Hispaniarum Infans, Burgundionum & Belgarum Princeps, Nata in nemore Segobiensi die 11. Augusti in vigilia D. Claræ Anno Christi 1566. A Rudolpho II. in coniugem expetita. Ernesto à Patre Rege destinata: cælitus Alberto reseruata, cui Valentiæ nupsit Anno Christi

1599. *eidemque Imperium dotale attulit, Discalceatarum Bruxellensium fundatrix, quam Deus clementissimus, diu sospitet, oramus.*

3. *Catharina IX. Austriaca, Hispaniarum Infans, nata Madridij X. Octobris. Anno Christi* 1567. *nupta Carolo Emanueli, Emanuelis Philiberti ex Margareta Francica filio, Sabaudiæ Duci, Cæsar Augusta primo Martij Anno Christi* 1585.

4. *Philippus III. Austriacus, Hispaniarum & Indiarum Monarcha, vtriusque, Siciliæ, Neapolis, & Hierosolymorum Rex, magnus Asiæ & Africæ Dominator, Insubriæ Dux, &c. Natus Madridij decimoquarto Aprilis, anno* 1578. *Anno Christi* 1584 *fratribus omnibus defunctis, ipse Patris ex Anna Austriaca Matre filius vnicus superstes, tanto Monarchiæ Princeps & hæres velut à Deo destinatus, inauguratur, & ab obitu Patris eiusdem pleno iure succedit, Anno* 1599. *Margaretam VII. Austriacam. Ferdinandi II. sororem, vxorem duxit, virginem iuxta ac coniugem sanctissimam. Anno Christi* 1609. *Marchanos, & Maurorum reliquias ob nefandam detectam proditionem tota Hispania exegit, quorum ad C. Millia transfretarunt in Africam, adeoque illius auspicijs prouincia bellicosissima ac potentissima, ab illa perfidiosa gente omnino fuit expurgata. Anno Christi* 1610. 20. *Nouemb. Rixam seu Laracham vulgo, Africæ fortissimum propugnaculum omnium paratarum receptaculum, sæpius à Maioribus irrito conatu tentatum, incredibili Hispaniæ commodo Imperio suo subiecit. Anno Christi* 1615. *mutua cum Regibus Francorum iam ante pacta connubia liberorum consummauit, desponsata Anna Infante Hispaniarum Ludoico XIII. Galliarum Regi. Anno Christi* 1616. *à singularum Prouinciarum Belgij ordinibus, data acceptaque fide, Belgarum Princeps Alberto Austrio patruelis auunculo affini sororio successurus, inauguratus est. Anno Christi* 1618. *nobilissimam & sumptuosissimam classem adornauit, per quam rebelles piratasque Indiarum corriuales in officio continuit. Anno Christi* 1619. *ærarium recludens, Imperium Romanum, & cumprimis Ecclesiam Orthodoxam & religionem, vti Catholicus Monarcha asseruit myriadibus aureorum ad stuporem Principum, etiam aduersariorum eductis in belli neruum profudit. Nunc porro sanctissima coniuge viduatus, Ecclesiam triumphantem, virtutibus, operumque sanctitate ambit, militantem in terris Indiarum gazis, & armis æquitatis, Rex incomparabilis, quo à Christiani imperij incunabulis nullus maior extitit, defendit. Cuius religiosissimam voluntatem longioris vitæ præsidijs muniat, vt in seris nepotibus, Zeli sui fructus accumulari videat, oramus medullitus.*

Vnicus hæres regnorũ omniũ à Deo datus.

Zelator Catholicæ Religionis nunctissimus.

Inauguratur Belgarũ Princeps 1616.

Pro religione seruãda in Imperio ac Germania immẽsa auri vasa profundit, itẽ pro honore Austriaci nominis.

Nam illius Regis memoria in iugi benedictione erit, & velut mel in ore dulcorabitur, propterea quod atrocissimi Christiani & orthodoxi nominis hostes illum cumprimis oderint; & atrocissimis iniurijs eius Maiestatem diuinitus Sanctæ Matri Ecclesiæ vti & Romano Imperio hoc anno, & præteritis datam, & venientibus dandam adeo probrosa lingua conuulnerent, & velut Phalaridem aliquem aut Mezentium, affinem-

affinemque sanguinis effigient. De quo tamen ferè illud Ecclesia recipit, quod de Sancto Ludoico Galliæ Rege annales prodiderunt, videlicet illum in hanc vsque horam Deum nullo peccato mortali offendisse, vti Magnates Hispaniæ, aulici intimi, & consiliarij, quos nihil celare potest, quandoquidem in omnium oculis viuit, & in verbis atque operibus eiusmodi fidelitatem exhibet, qualem Austriaci sanguinis principem & tantum Monarchã exhibere per omnia conueniat. Cuius eius innocentiæ testimonium hoc certißimum aßignant, quod tam in prosperis, quam aduersis, tam in fortuna secunda, quam contraria, vniformi vti proposito, sic facie semper hilari perseueret: nam secura mens quasi iuge conuiuiũ. *Verum non adeo mirum videatur à Caluinistis in Hispaniarum Monarcham, tam atroces iniurias rontorqueri, cum Deum ter Opt. Max. in Calis scelerum omnium ab impijs commissorum auctorem, & primã caussam impudentißime constituant, & homines ac dæmones caussam dumtaxat instrumentalem esse, adeoque ad peccandum eosdem impellere, & fatali neceßitate, vt non poßint non peccare, obstringere, quoniam maiorem partem ab æterno (ô, os!) æternis Gehennæ incendijs citra demeritum vllum pro solo voluntatis suæ beneplacito destinasset. In Deum si impij sint, vt execrabiles isti articuli euincunt, non erit nouum, si Regiam Maiestatem Deo in virtutum curriculo appropinquantem, tam mendacibus stylis configãt, cuius honorẽ, & religionis orthodoxæ, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ, cultum immensis ærarij Hispanici gazis defendendum per S. R. Imperium, Germaniam, Belgium, Bohemiam, Vngariam, Italiam, &c. velut circuli Burgundici caput suscepit. Cui morum inuiolata sanctitas, regula est, ad quam omnium bellorum caussæ, & expeditiones sumptuosißimæ tam mari, quam terra exigantur.*

Qualem Regem Hispania depingant Calſta.

Quanta in eo vitæ sanctitas.

Prou. 15.

Descripsi eius potentiam in sceptro regali copiose, quoad terrarum, regnorumque ambitu, quæ Imperio suo potentißimo coercet, omnibusque regibus totius mundi illam licet potentißimis prætuli, & mathematicè, ac physicè ostendi, Sulthanum, Turcicum, Chamum, Tartarorum, Regem Chinensium, & alios multum ei remittere, nunc paucis eius diuitias ex alijs auctoribus percensebo: Tantos enim reditus habet, vt nullus Regum vix sextam partem posit æquare. Annuè viginti sex milliones habet, & quidem anno vno plus, altero minus, item trecenta millia & octoginta millia ducatorum. Et quamuis in expensas illa eant, ac regia eius donatiua diuidantur (Id quippe citra inuidiam dixeris nullam vnquam fuisse regnum, cuius princeps regaliorem munificentiam exercuerit Monarcha hispanico, adeo vt in annos singulos plus elargiatur quam multi Reges in reditibus annuis accipiant) potest tamen ex iusto titulo alio si neceßitate aliqua prematur, milliones illos suis vsibus applicare, quos ex vtraque India, Peruuia, Mexico negotiatores apportant. Quibus accedit, quod opulentissimos & bene nummatos subditos habeat, Damianus à Goes de Hispanorum diuitijs agens inter cætera narrat Hispaniæ Principes, quos Duces & Marchiones vocamus supra duos milliones ducatorũ habere in reditibus annuis: Nobiles autẽ non minus, quorũ aliqui à mille ducatis annuis ad decem millia ascendant & vltra. Alij quoque sint Domini ibidem,

Reditus fixi annui Monarchiæ Hispaniarum.

ibidem, quos Pastores vocant, qui triginta, quadraginta millia ouium habeant, boum, vaccarum, equorum, mulorumque armenta copiosa. Ita ille. At vero diuitias hodiernas ampliores esse indubitatū est, cū ante ille annos octoginta hac scripserit. Ex quo .n. nouū orbem detexerunt, ex nauigationibus Indiarum Orientalibus inuexerunt in solam Hispalim vulgo Siuiliam dictam sexcentos milliones auri, quorum non exigua portio in Hispaniis remansit. Anno Christi 1604. in regnis Castellæ & legionis singulas domos obiri, & à subditis per iuramentum deponi iussit, quantum quisque suppellectilis aureæ & argenteæ haberet, exceptâ, vti loquimur, parata pecuniâ, neque regnis Portugalliæ, Aragoniæ, Valenciæ & Arragoniæ annumeratis, inuētumque est ad precium centum, & viginti millionum ascendere, cum tamen illa regna, cum supra memoratis conferenda non sint, eo quod immensis gazis ac diuitiis propter commercia, & maris, fluuiorumque nauigabilium vsum impleantur. Quam supellectilem, si in religionis Catholicæ propagationem ac defensionem impēdendam iudicasset, nemo subditorum esset, quo Regi suo gratificaretur, qui non ornamenta illa mundumque muliebrem vltro tradidisset. Hoc autem fere nobilitati Hispanicæ ingenitū, cuiusuis regni aut prouinciæ nobilitati, splendore ac maiestate cultus & suppellectilium anteuertere. Ex quibus, velut ex vngue Leo cognoscitur, coniecturam facere poteris, quid quantumque possit Monarcha ille, cuius cor in manu Domini est, & cuius conscientia illibata simul cum vita admirabili sanctimoniâ, adhuc ampliora regna potētiamque hæreticis formidabilem à benignissimo Deo, regnorum distributore indubiè obtinebunt. Nam vetus dictum est Religio, parit diuitias, quam in isto Monarcha, vti in Ser. Austriaca & Catholica Hispaniarūdomus Capite in summis consistere inexhausta auri profusiones & ærarij iactura demonstrant. Vti latius in panegyricis nostris, vtriusque Monarchæ Cæsaris & Regis legere poteris suo tempore.

Diuitiæ Subditorum.

Quantū auri sola Hispalis ex nouo orbe receperit. Quātum aureæ & argenteæ suppellectilis fuerit in regnis Castellæ & Legionis.

Proles eius hæ sunt.

Philippus IV. Dominicus, Victor Hispaniarum Princeps, natus Vallisoleti Anno C. 1605. VIII. die Aprilis, ipsa feria VI. Septimanæ Sanctæ, hora nona, cum dimidia, & medio quadrante post meridiem.

Anna VIIII. Austriaca, Hispaniarum Infans, Francorum Regia, nata Vallisoleti Anno Christi 1601. quinque diebus ante suum maritum, videlicet 22. Septembris, hora prima, post mediam noctem, cui Anno Christi 1613. desponsata fuit, & ab eodem Anno Christi 1615. ducta, Princeps omnium virtutum genere florentissima.

Maria VII. Austriaca Hispaniarum infans, nata Vallisoleti A. C. 1603. 1. Februarij, Obijt prima Martij eodem anno.

Maria VIII. Austriaca Hispaniarum infans, nata ad D. Laurentij. Anno Christi 1606. feria VI. 18. Augusti, hora VIII. vno quadrante post meridiem.

Carolus VII. Austriacus Hispaniarum Infans, natus Madridii. Anno Christi 607. die Sabbathi XV. Septembris, hora nona cum dimidia, post meridiem. Creatus Archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas, Anno Christi 1617. Item S. R. E

Cardi-

Cardinalis extraordinariè à Paulo V. A.C. 1620. in Septembri.

Ferdinandus VIII. Austriacus Hispaniarum Infans. Natus ad D. Laurentii, A.C. 1609 die Sabbathi XVI. Maii, hora vndecima cum dimidia post meridiem.

Margareta VIII. Austriaca, Hispaniarum Infans, nata Lerma A.C. 1610. die Luna XXIV. Maii hora XII. post meridiem. Obiit.

Alphonsus Mauritius I. Austriacus, Hispaniarum Infans, cognomento Carus, ex cuius partu sanctissima Regina mater, obiit, natus ad D. Laurentii, Anno Christi 1611. 22. Septembris, hora vndecima, post meridiem. Obiit Anno Christi 1612. & quam matrem in terris amiserat, inter Cœlites deposito corpusculo quæsitam reciperet.

Ferdinandum III. Austriacum, Hispaniarum infantem, mortuum in Hispania, dum abesset in Belgio. De quo refertur, testibus Menlio, & Piespordio, patrem, Carolum, audita morte filij sui ingemuisse, & ad Proceres Belgicos dixisse. *Ego quidem lugeo filium : at vos lugete amissum iam Dominum & Regem vestrum.* Statuerat enim XVII. Belgarum prouincias in vnius regni titulum contrahere, & hunc filium suum primum Belgicę Regem constituere. *Rex Belgarū futurus prim⁹.*

Mariam II. Austriacam, Romanorum Imperatricem, Vngar. ac Bohem. Reginam, qua vix orbis maiorem, & Regum Cæsarumque serie augustiorem vidit. Abneptis Friderici XVII. Pacifici: proneptis Maximiliani I. filia Caroli V. nurus Ferdinandi I. vxor Maximiliani II. mater Rudolphi II. & Matthiæ Imperatorum. Nam Madridii 25. Iunii Anno Christi 1528. nupsit Maximiliano II. Vallisoleti Anno Christi 1548. liberos illi XVI. procreauit. Ab obitu Cæsaris aliquamdiu in Bohemia hæsit, & tandem Anno Christi 1581. in Hispaniam profecta, singulare omnibus virtutum exemplar dedit. Obijt Vallisoleti Anno Christi 1603. *Maria Austriaca qua nemo fœminarum in orbe fuit augustior.*

4. Ioannam II. Austriacam, Hispaniarum infantem, Ioanni III. Portugalliæ Regi, Anno Christi 1553. nuptam, quæ Sebastianum Regem, imprudenti consilio in Mauros Africæ pugnantem, cade ntemque peperit. Vidua in Castellam redijt, regnumque absente Philippo fratre, in Belgio, pari cum Carolo III. filio potestate administrauit. Obijt, Anno Christi 1578. Discalceatarum Madridij fundatrix. *Ioanna mater Sebastiani Regis in Mauritania cadentis.*

5. Ioannem Austriacum, victoria nauali, ad Echinadas clarissimum, & debellatis in Hispania Mauris, Belgium feliciter administrauit, obijt in castris ad Namurcum. Hunc, licet thoro inferiore natum, ante omnes alios suspexit, Philippus, & in delicijs habuit, vt non semel perstrinxerit Carolum filium, cuius animus alienior erat in Ioannem patruum. *Ioannes Austricus Philippo cūprimis charus*

6. Margaretam Parmensem, eiusdem cum Ioanne sanguinis, primo Alexandro Florentiæ Duci, dein Octauio Farnesio, Parmæ Regulo nuptam, quo vtroque defuncto, Belgij gubernatrix efficitur, Anno Christi *Margareta Parmēsis gubernatrix.*

1559. Obijt. Anno Christi 1586.

Ferdinandus I. Rom. Imp. Rex Vngariæ & Bohemiæ, Hispaniarum Infans, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carniolæ, vtriusque Silesiæ & VVirtenbergæ. Princeps Sueuiæ, Marchio, Morauiæ, Lusatiæ, & Burgouiæ, Lãdtgrauius Alsatiæ, Comes Habsburgi, Kiburgi, Ferretæ, Tyrolis & Goritię, Dñs Marchiæ Slauonicæ, Portus Naonis &c. Natus Cõpluti (alias Molinæ) 12. Martii, anno 1503. infans in Hispania apud Ferdinandum auũ educatur. Anno 1521. Annã Iagellonicã Vladislai Vngariæ & Bohemiæ regis filiam vnicam Lintzii Austriæ oppido vxorẽ duxit ex qua xv. liberos suscepit, in 15. puerperio ex humanis abiens, & à fratre Cæsare Carolo vtramque Austriam cum omnibus aliis ditionibus Austriacis per Germaniam superiorem in partem accepit. Sublato bello Turcico Ludouico affine, tam fœdere connubiali & hæreditatis titulo (quod etiam fœminæ per Caroli IV. & Vladislai Regis diplomata deficiente stirpe mascula succedãt, & in eandem hæreditatem sanguinis regii traduces transmittantur) quam Maiorum suorum pactis & conuentionibus vtrumque regnum Vngariæ & Bohemiæ, cũ Silesia, Morauia, & Lusatia &c. adijt. Coronatus aũt est in Regem Bohemiæ Pragæ 24. Februarii: inde 28. Octob. ad Albam regalem Vngaricam coronam suscepit, vno eodemque anno 1527. & sic vtrumque regnum iure optimo ad familiam rediit, anno à quo post Ladislai Austriaci obitum ab illa diuulsa fuerunt LXVIII. Anno 1529. Turcam Viennam obsidentem, vrbe & Austria tota, Vngariaque relicta, cum ignominia Constantinopolim redire coegit. Anno 1531. 5. Ianuarii, Coloniæ, protestante Saxone Septemuiro, Rex Roman. electus, Aquisgrani 11. eiusdem coronatur. Anno 1555. publicæ tranquillitatis per orbem Christianum & Imperium stabiliendæ studio, bono zelo, malo vero euentu, pacem religionis cum Cæsare fratre promulgauit. Anno 1556. resignante fratre, Imperium pleno iure administrare cœpit. Multa per Vngariã contra Turcas & Ioannem de Zapolia, eiusque filium Ioannẽ Sigismundũ Transyluaniæ Vayuodã, Sultani clientem, eiusdem auxilio Vngariæ inhiantẽ, fortiter gessit. VVirtenbergicũ Ducatũ Vdalrico (titulo, nec non successionis & clientelæ iure sibi suisque reseruato) restituit. Obiit magno sui desiderio Viennæ 25. Iulii, ipsa D. Iacobi Apostoli, an. Christi 1564. ætatis LXI. Sepultus Pragæ apud vxorẽ.

Annã Iagellonicã Vngar. & Bohemiæ Regis filiã duxit

Ius hæreditarium Ferd. ad regna Vngariæ & Bohemiæ

Turcã ab obsidione Viennẽsi depulit.

Maximilianus II. Rom. Imp. Rex Vngariæ & Bohemiæ, Archidux Austriæ, præter quæ ex testamento patris Silesiam cum Lusatia accepit; cætera fratribus cesserunt. Natus Viennæ I. Augusti eodem cum Philippo patruele anno 1527. Prima militiæ tyrocinia sub Cæsare patruo bello Smalcaldico auspicatus est, duobus equitum millibus præfectus. Euocato à patre in Belgium Philippo, Hispanias eodem absente rexit, vbi etiam eodem tempore Ma-

Militia tyrocinia eius in bello Schmalkaldico.

Mariam II. Austriacam, Cæsaris filiam vxorem duxit. Ioannẽm Sigismũdum Transyluaniæ Principem, Vngariæ auxilijs Turcicis inhiantem, patris auspicijs regno pellit, & in Poloniam abire cogit. Anno 1548. 14. Februarij Rex Bohemiæ electus, & decimoquarto post anno salutis nostræ 1562. XX. Septembris coronatus est. Inde Francofurti XXIV. Nouembris eiusdem anni in Regem Romanorum renunciatur, & sexto post die coronatur. Anno 1563. 9. Septembr. Posonij Vngaricam, & sic anno vnico vix exacto (raro felicitatis exemplo, quale Alberto II. Austrio etiam accidit) tres ordine coronas accepit. Quæ pro tutando regno Vngarico, & arcendo ab Imperio tyranno Turcico egerit, iam orbi non minus quam bella Belgica Philippi patruelis nota sunt. Immanissimos illos Christiani nominis, Germanici sanguinis, & Imperii hostes non vno sæpe loco fudit fugauitque, & non minus fortiter & feliciter ipse contra hos, quam Marchiones isti primi stirpis Babenbergicæ, Marcam illam Orientalem Pannoniæ (verè cor, clypeum & antemurale Imperii) olim contra Vngaros, defendit & tutatus est. Anno 1575. decimosexto Decembris, Viennæ nuncium accepit, electum se à discessu Henrici Valesii in regem Poloniæ; sed propter diuersa procerum studia regnum adire noluit. Ante mortem Rudolphum filium (pulchro patris erga seipsum exemplo, & magno Imperii & familiæ commodo) primo in Vngariæ; inde in Bohemiæ & Romanorũ Regem coronari curauit, qui factum, vt ab eius obitu, nullo refragrãte, successionẽ vbique pacifice adierit. Defunctus est Ratisbonæ, sub ipsis Comitijs, 12. Octob. an. salutis nostræ 1576. Sepultus Pragæ in Basilica cathedrali.

Tres coronæ anno vno, & victoria eius

Electus Rex Poloniæ.

Ante mortem coronari curauit Rudolphum filium.

2. *Ferdinandus II. Magnus, Austriacus, Tyrolensium princeps, quam cum Burgouia, Alsatia alijsque principatibus & ditionibus Austriacis per Sueuiam, in Nigra silua ad Rhenum sitis à morte patris obtinuit. Natus est Lintzij. Anno 1529. xiv. Iulii. Bello Germanico Imperatori Carolo militauit. Bohemiam aliquot annos pro patre magna cum laude admiuistrauit. Vxorem duxit Philippinam VVelserianam, eleganti forma virginem, ex qua genuit Andream & Carolum S.R. E. Cardinales, qui aliis contenti Archiducali titulo abstinuerunt, defuncta, duxit anno 1580. Annam Catharinam filiã Guilielmi Gonzagæ Mantuæ Ducis ex Sorore Leonora neptem: Obiit Oenipontε 9. Calend. Febr. Anno Christi 1595. ætatis LXVI. Sepultus ibidem ad S. Crucis iuxta vxorem primam: altera adhùc superstite. Ab huius obitu ditiones supradicta omnes ad nepotes redierunt, sola Burgouia, Nellenburgico Landgrauiatu, & quibusdam aliis filio Carolo assignatis. Cæteris Maximilianus III. præfuit.*

Ferd. II. Austrius Tyrolensiũ Princeps pater Annæ Imperatricis & cõiugis Matthiæ.

Carolus S.R.E. Marchio Burgouiæ, Landgrauius Nellenburgicus. Imperatori Rudolpho in Vngaria, & Regi Philippo II. in Belgio strenuam nauauit operam, vxorẽ duxit Sibyllam Cliuiam, Guilielmi filiam Ioannis Guilielmi Sororem.

Carolus filius Sibyllam Cliuiam.

Andreas S. R. E. tituli S. Mariæ noua Card. Episcopus Constantiensis & Brixinensis. Ditiones Austriæ superioris & inferioris ab obitu patris pro Rudolpho Cæsare &

Andreas Cardinalis.

cæteris patruelibus: Belgium etiam absente ad nuptias Isabella Alberto rexit. Obiit in peregrinatione Romana, anno 1600.

Anna VII. Austriaca, ex Catharina Gulielmi Gonzaga Ducis Mantuani filia, nata, anno 1581. Rom. Imp. Vngariæ & Bohemia Regina. Nupta Matthiæ I. Austriaco, Vienna, IV. Decemb. anno. 1613. Coronam Romanam Francofurti 26. Iunii anno 1612. Vngaricam, Bohemicam Praga X. Febr. anno 1616. accepit. Obiit Anno Christi 1618.

Anna VII. Imperatrix.

3. Elisabetha IX. Austriaca, Poloniæ Regina, Nata Lintzii X. Iulii, anno 1526. Nupta Sigismundo II, Poloniæ Regi Cracouiæ, anno 1543. XXI. Aprilis. Obiit Vilnæ, Anno Christi 1545. ætatis XIX. De hac Elias Reusnerus ita scribit. In hac muliere genus cum forma, forma cum comitate & mansuetudine, hæc cum probitate, probitas denique cum pietate certarunt: ita vt nescires, quid in ea potissimum admirareris.

Laus rara Elisabetha 9.

4. Catharina IX. Austriaca, Poloniæ Regina. Nata Viennæ anno 1533. XXV. Septemb. Nupta primum anno 1549. Francisco Gonzagæ, Friderici, ex Margaretha Palæologa, filio Guilielmi, fratri Duci Mantuæ primo. Illo defuncto, Sigismundo ex Beatrice Radziuil viduo coniugata est. A quo repudiata, in Austriam reuersa, Lintzij obijt, vltimo Febru. aut 9. Martij, anno 1572. ibidem in templo Cathedrali sepulta.

5. Anna V. Austriaca, Ducissa Bauariæ. Nata Pragæ, anno 1528. 7. Iulij. Nupta Alberto, in Comitijs Ratisbonensibus, anno 1546. 4. Iulij. Obijt Monaci 6. Octobris, Anno Christi 1590. ibidem ad B. Mariæ Virginis sepulta.

6. Maria III. Austriaca. Nata Pragæ 15. Maii anno 1531. Nupta Guilielmo IV. Bauaro, Ratisbonæ, die 18. Iulii, anno 1546. In cuius matrimonij gratiam Carolus V. patruus, Duci marito illo ipso nuptiarum loco, & anno, atque altero statim die 19. Iulij priuilegium successionis, ad casum quo hæredes masculos non procrearent, aut illi ipsi aliquando deficerent, concessit. Ante mortem in mentis alienationem quandam (vt vulgo spargebatur) incidit. Obijt Anno Christi 1584.

Mat. et Guilielmi V. & Ernesti Ele. Colon.

7. Magdalena I. Austriaca. Nata Oeniponti 14. Augusti, anno 1532. Anno 1567. Cœnobium nouum Halæ ad Oenum pro ipsa extructum, ingressa, Deo virginitatem vouit, ibique obijt X. Sept. Anno Christi 1590.

Magdalena fit Iansimonialis.

8. Leonora II. Austriaca. Nata Viennæ 2. Nouemb. anno 1534. Nupta anno 1561. mense Maio, Guilielmo Gonzagæ, Friderici ex Margaretha, Palæologa Marchionissa Montisferrati, filio: Francisci (qui Catharinam Leonoræ sororem duxit) fratri, Duci Mantuæ III. quem Imp. Maximilianus II. ex Marchione Ducem Montisferrati I. creauit.

Dux Montisferrati I.

9. Margaretha V. Austriaca. Nata Oeniponti XVI. Feb. anno 1536. Obiit Halæ 12. Martii, anno 1567. Sepulta in Cœnobio Stambsiano.

10. Ioannes

10. Ioannes III. Austriacus, Margarethæ frater. Natus Pragæ anno 1538. X. Aprilis. Obiit Oeniponti XX. Martii sequentis anni. Sepultus in cœnobio Stambsiano.

11. Barbara I. Austriaca, (alias II.) Nata Viennæ 30. Aprilis anno 1539. Nupta mense Nouemb. anno 1565. Alfonso II. Herculis II. Filio, Duci Ferrariæ. Obiit ibidem anno 1572. mense Septemb.

12. Vrsula I. Austriaca. Nata Neapoli Austriæ 24. Iulii anno 1541. Obiit Infans, Oeniponti, vltimo Aprilis, anno 1543. Sepulta in cœnobio Stambsiano.

13. Helena II. Austriaca. Nata Viennæ 7. Ianuarii, anno 1543. Obiit Halæ ad Oenum in Cœnobio nouo de quo in vita Magdalenæ sororis V, Martii, anno 1574. ibique sepulta.

14. Ioanna III. Austriaca, Nata Pragæ XXIV. Ianuarii anno 1547. Nupta anno 1565. Nouemb. Francisco, Cosmi ex Leonora Toletana filio Magno Duci Etruriæ, eidem Leonoram Mantuæ Ducem, & Mariam Viduam hodie Henrici IV. Francorum Regis peperit. Obiit ex partu Florentiæ, anno 1578. ibidem sepulta ad D. Laurentii. *Mater viduæ Henrici IV. Fráco-rũ Regis.*

15. Carolus II. Austriacus, Dux Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Goritziæ Comes. Natus Viennæ ann. 1540. 3. Iunii: fuit Princeps Iustitiæ, Clementię, religionis orthodoxæ titulis clarissimus, acerrimus hæresum hostis, & exterminator, nisi in adeo turbulenta tempora incidisset. Collegium Græciense, Societ. Iesu patribus fundauit, eosque mirè coluit, vt religionem orthodoxam ad suos reducerent. Vxorem duxit Mariam, ex sorore Anna, neptem, Alberti Bauariæ Ducis filiam, Guilielmi V. & Ernesti Electoris Coloniensis sororem, Viennæ in Septemb. anno 1571. Obiit Grætzii, anno 1590. VI. Idus Quintileis. *Proles Maximiliani II. sunt ex ordine sequentes.* *Carolus II. August. Pater Ferdinãd. II. Imperat.*

1. Rudolphus VI. ratione Rudolphorum, qui præcesserunt. Archidux Austriæ. Natus Viennæ, anno 1552. XVIII. Iulij Imperatores II. iuuentutem in aula Regis, auunculi Philippi II. in Hispanica educatus, cum Ernesto fratre transegit. Anno Christi 1573. Posoniæ Rex Vngariæ 29. Septembris ætatis, anno XX & 1573. Pragæ Rex Bohemiæ, 21. Septembris coronatur, & prima Nouembris, eodem anno Rex Romanorum Francofurti. Mortuo Patri. Anno Christi 1576. in Imperio, regno vtroque pleno iure succedens. Consilio magnus inter Cæsares huius seculi, & in familia sua, tandem fratri Matthiæ, transcriptis omnibus regnis ac prouinciis, dempto Imperio Anno Christi 1612. vitam mortalem, annorum 60. deposuit, Imperauit annos. 36. Pragæ sepultus. *Educatus in aula Phil. II.*

Anna VI. Austriaca, Hispaniarum Regina, nata Zigali in regno Castellæ 2. Nouemb. Anno Christi 1549. nupta Philippo II. Regi Catholico Segouiæ, sub initium Nouemb. Anno Christi 1570. Obijt Pax-Augustæ 27. Octobris, ætatis 26. Anno Christi 1580. *Mater Philippi III. A.C. 1580.*

Portugallia reddita est regno Castella à quo annis 489. auulsa fuit. Mortua illo anno, quo Rex recepit Lusitaniam.

1580. cum ægrè ex morbo conualuisset. Quo anno in morbi & dilectæ coniugis solatium Portugalliam Castellæ regno restituit, quæ annis 489. per coniugium Beatricis Nothæ, cum Henrico Vesuntino ab illo diuulsa fuit, adeoque Monarchiam Hispanicam, à Ferdinando Catholico iactam, perduxit ad apicem Philippus, obtenta Portugallia. Vbi & illud memorabile, post diuturnum inter Alphonsum V. & Ferdinandum Catholicum bellum olim pacem coaluisse. Anno Christi 1479. annorum 101. quæ eodem tempore exspirauit, quo regnum illud cum exercitu ingressus fuit Philippus.

2. Ferdinandus IV. Austriacus, natus Zigali in regno Castellæ, Anno Christi 1551. 28. Martij. Obiit Viennæ in Austria XVI. Iunii, sepultus ad D. Stephani.

Ernestus II Ecclesiæ propugnator.

4. Ernestus II. Austriacus, natus Viennæ XV. Iunii. Anno Christi 1553. in Hispania cum Rudolpho II. educatus, in Austriam reuertitur 1571. Is à Sixto V. Pontifice Maximo, Ecclesiæ Propugnatoris insignia Viennæ accepit. Prorex Hungariæ & Austriæ fuit annis XVII. nomine Rudolphi II. cuius consensu à Philippo auunculo in Belgium euocatus, Anno Christi 1594. cumque pacificando Belgio heroice incumberet, in ipso conatu optatissimo moritur in castris ad Namurcum. Anno Christi 1595. 23. Februarii. Princeps per omnia benignus, & Pacificus.

Elisabetha X vidua Caroli 9. fit Clarissa.

5. Elisabetha X. Austriaca, nata Viennæ, Anno Christi 1554. V. Iunii. Eodem anno, quo Anna soror Philippo II. ipsa Carolo IX. Francorum Regi nupsit, quo Anno Christi 1574. defuncto, in Austriam reuersa est, Pragæ condidit templum omnium Sanctorum, & Viennæ cœnobium Clarissarum, in quo sanctissime vitam transegit, adeo vt insigni miraculo in vita etiam coruscarit. Obijt Viennæ, Anno Christi 1592. die 22. Ianuarij. Sepulta in dicta æde D. Claræ.

6. Maria IIII. Austriaca, nata Viennæ, Anno Christi 1558. XXVII. Iulij. Obijt Linzij in cunis, Anno Christi 1556. sepulta ibidem in Ecclesia parochiali, sub marmore, apud cor & viscera Maximiliani I. Cæsaris.

In Hüngaria bene pugnat.

7. Matthias I. Roman. Imperator Hungariæ, & Bohemiæ Rex, Archidux Austriæ, &c. natus Viennæ 24. Februarij, Anno Christi 1557. in vigilia D. Matthiæ Apostoli, quo die & Matthias Rex Vngariæ, & Carolus Quintus nati sunt. A Statibus Anno C. Antuerpiam euocatus, & ad gubernacula Belgij nomine Philippi Regis ascitus, cum non adeo fructuose ob rebellionem Belgarum præesse posset, relicto Belgio in Austriam redijt, Anno Christi 1581. Ernesto fratri in Belgium abeunti, in dignitate proregia Vngariæ Austriæque successit. Nouiogradum capit, Sinanem Bassam ad Comorriam fugat, & Vicegradum arcemque Strigoniensem Cæsari subigit, Budam frustra magna vi oppugnat. Anno Christi 1606. factionem Botzkaianam & complicum sedat. Inde XI. Nouembris, Anno Christi 1607. cum Hehomate I. Turcarum Sultano transigit, & pacē, seu potius inducias in annos XX. paciscitur, Anno Christi 1608. Austriā Morauiamque à fratre accipit & Posonij, Anno Christi 1610. 19. Nouemb. coronatur, vti Anno Christi 1611. XXIV. Maij, Pragæ Rex Bohemiæ salutatur. Denique Anno Christi 1612. mortuo Rudolpho Augusto fratre, Francofurti concordibus Electorum votis in Regem Romano-

Romanorum eligitur & coronatur. Iustitiam in Imperio seditiosis aliquot Imperialiũ ciuitatum, Francofurtensis, Aquisgranensis memorabili exemplo captis, supplicioque affectis reuocauit, & tandem Anno Christi 1619. laborum annorumque plenus die 20. Martij obijt Viennæ longiori vita dignissimus, ni ad meliorem illum euocasset Imperator summus. Iustitiam ĩus audit.

8. Maximilianus III. Austriacus, natus Neapoli Austriæ, Anno Christi 1558. XIII. Octobris, ipsa die, D. Maximiliano sacra. Anno Christi 1585. in administratorem magni Ducatus Borussiæ, nec non sacræ militiæ ordinisque Teutonici per Germaniam & Italiam, Magister, Magnus eligitur Henrico à Bubenhausen renunciante. Anno Christi 1586. Proprinceps à Rudolpho fratre Fuldensis instituitur, & Principatum illum dissidio Abbatis Balthasaris, & Iulij VVirceburgensis Episcopi, per Teutonicos, vsq; in Annũ C. 1602 (quo sententia à Cæsare Rudolpho contra Iulium pro Balthasare Abbate lata fuit) administrauit laudatissimè. Defuncto Stephano Batthoreo cum Sigismundo Sueco (à sua vterque factione) Poloniæ Rex electus, regnum quidem ingreditur, sed à potentiori hoste, post varias hinc inde victorias pugnasque (rem pro Sueco agente, magno Regni Cancellario Zamoscio) ad Beththimam tandem captus, in Poloniam abducitur: sed nõ multo post, facta ad Bethoniam pace libertati restitutus, Styriæ, & annexarum ditionum gubernacula, Anno Christi 1594. suscipit. Bertriuiam potentissimum Turcarum propugnaculum expugnat. Hatuanum inde summus Cæsareani exercitus Dux, Turcis extorquet. Ad Agriam cum Amurathe III. Turcarum Sulthano fœliciter pugnat, cũ vero miles intempestiue in prædam rueret, pulcherrimam victoriam sibi ab hoste præripi vidit. Pappa capta ab vlteriori progressu Turcam prohibet. Varadinum incassum obsedit. Iaurinum auspicijs Comitis Schvvartzenbergici, strategamete militari cœpit: Anno Christi 1600. Alsatiam cæterasque ditiones superioris & citerioris Austriæ, ac fratrum nomine gubernandas accepit. Anno Christi 1615. cum ab integris XLV. annis fratrem Albertum Archiducem non vidisset, in Belgium profectus Louanii XXV. Nouembris, ipsa D. Catharinæ ab eodem inuisitur, incredibili gratulatione Bruxellam deducitur: pari gaudio quo Carolus V. & Ferdinandus I. Cæsares fratres, sibi inuicem ad Oenipontum occurrerunt, & ad finem anni ad Matthiam Cæsarem per Germaniam reuertitur, Pragam, cumque perturbatis Imperij rebus, cum fratre Cæsare & Ferdinando patruele emendatis incumberet, has sanguinarias coniurationes & rebellionem præuidit, & capita comprehendi iussit, religionis orthodoxæ & Iustitiæ Zelator acerrimus, quo in conatu vitam hanc ærumnosam, exhausto morbis corpusculo sanctissime posuit, Anno Christi 1618. die 20. Ianuarii Viennæ, Maiorum Mausoleo in D. Stephano ibidem illatus.

Magnus Magister Teu. & Rex Poloniæ eligitur.

Eius contra Turcã gesta fortia.

Zelator religionis religiosissimus.

9. Albertus VII. Austriacus, Burgundionum & Belgarum Princeps excepit omnium fratrum Iunior, natus Neapoli Austriæ, Anno Christi 1559. die 13. Nouembris, Annam sororem Philippo II. Monarchæ desponsatam in Hispaniam, Anno Christi 1570. comitatus est, cumque incredibili fidei ardore æstuaret in Ecclesiasticum ordinem, Clericus a Grego-

Belgarũ Princeps optatissimus.

Cardinalis. Gregorio XIII. factus assertus, & titulo S. Crucis Hierosolymitanæ Cardinalis creatus est. Anno Christi 1583. Prorex Lusitaniæ ab auunculo constituitur, & Vlyssiponem Metropolin Lusitaniæ maritimam contra Franciscum Dracum Piratam Anglum, & noui orbis circumnauigatione apud Anglos Batauosque celebrem, vt ipsi proclamant, & Antonium nothum, ius in regnum Portugalliæ sanguinis censitione proximâ venditantem summa fortitudine, prudentia, & vigilantia defendit. Anno Christi 1593. à Rege Madritium euocatus, defunctoCardinale Quiroga, Archiepiscopus Toletanus & Hispaniarum Primas designatur. Defuncto Ernesto, cum iam Archidux cum summo sanguinis fastigio, & apicem ordinis, seu sacerdotij gradum meditaretur, mutata mente, suasu Magnatum, Prorex florentissimarum Belgii prouinciarum à Philippo institutus ex Hispanijs discedit, & Anno Christi 1569. Bruxellam ingreditur, statimque hostem adortus, incredibili celeritate Gallis Caletum, Ardeam, Hollandis Hulstum eodem adhuc anno eripit. Sequenti anno Ambianum astu bellico capit, quod Gallis iterum ex deditione eodem anno cessit. Mox Francica pax secuta est Anno Christi 1598. 13. Iulij eiusdem anni habitum Ecclesiasticum Halæ ad D. Virginis deposuit, & 14. Septembris Isabellam coniugem ducturus in Hispaniam proficiscitur peractisque, cum eâ nuptijs mense Septembri Bruxellam reuersus Belgarum prouinciis cum eadem coniuge inauguratur, anno Christi 1599. Anno vero Christi 1600. ipsa Visitationis Deiparæ die, varia fortuna cum Hollandis ad Neoportum congressus, prius victor, si vti victoria cautè victores voluissent, & inclinante acie postmodum, victus est, vbi non modo fortissimi Ducis, sed & strenui militis partes sustinuit. Anno Christi 1604. cum Iacobo VI. Anglorum Rege pacem fecit: cum Hollandis quoque Ordinibus post varias clades & victorias hinc inde acceptas, inducias annorum 12. pactus est post bellum 43. annorum continuum. Mortuo Ioanne Guilielmo vltimo Duce stirpis masculæ Iuliæ, Cliuiæ, Mõtium &c. vtrumq; Principem Brandenburgicum & Neoburgicum hæredes rem suã agere permisit, ne ipse pacem turbare, & aliena appetere videretur. Hollandis Brandenburgici partes qua clam primò, dein palam fouentibus, ac præsidium militare Neoburgici, Iuliaco contra conuenta exigentibus, Dusseldorpium, vbi tum ipsa Neoburgici cõiunx degebat, frustra tentantibus, VVesaliensem tractatum de pace ac mutua concordia quasi non rite coijssent, interrumpentibus, Ambrosium Spinolam Marchionem Venefranum, Belli ducem fortissimum, cum victorioso exercitu omnium opinione celerius submisit, qui attentatis Ordinum obuiaret, & Anno Christi 1614. auctoritatem Cæsaris Imperijq; assereret, pacem publicam restitueret. Is Aquisgranum hæreticorum technis ab Imperio diuulsum ad obedientiam reduxit, dein minora ad Rheni ripam oppida: ad extremum ipsam quoque VVesaliam vrbem magnam, populosissimam, ac potentissimam, Batauorum armamentarium futuram, vt spargebatur, ipsis spectantibus occupauit. Omnia in pristinum statum restituturus, si Hollandi militem quoq; ex istis partibus eduxerint, sic Anno Christi 1616. declaratum, cum consilia illa iam ante cum suauissimo fratre Maximiliano III. contulisset, atq; ad Regis voluntatem exegisset.

Prorex Lusitaniæ

Archiep. Toletanus

Ducit Isabellam.

Inducias paciscitur cũ Batauis

Per Ambros. Spinolam statuta correxit.

Exinde

Exin ad turbatum Imperij statum & ruinam familiæ ab rebellibus infeliciter meditatam conuersus, serio illi mederi proposuit, cumq; virium impotentia & arthritidos, non animi sagacitate, imdoneum sese iudicaret, Imperium oblatum maiore laude remouit, quam forsitan accepisset, mortuo Matthia I. Cæsare, immò quidquid iuris in amplissimas ditiones habuit Austriam, Vngariam, Bohemiam, duo regna, Sueuiam, Alsatiam &c. in patruelem transtulit, illumque ad Imperium Anno Christi 1619. vnanimi ferè Principum Electorum suffragatione euectum, non modo preferri passus est, verum grauissima rebellione Bohemica laborantem, fidelissimis armis ad stuporem rebellium, iuuit, Exauctoratum à se Ambrosium, ducem addidit, qui Anno Christi 1520. exercitatissimus copijs Monarchæ Hispaniarũ & Cæsaris nomine Palatinatus partem meliorem, intuente Protestantium numerosiore milite occupauit, adeoq; sui nominis fama pculit, vt retrocedere turpiter coacti sint, & latibula cõquisiuerint. Ipse interim reliquũ ætatis vti totum ferè induciarum tempus, in hanc vsque horam, cum pientissima cõiuge transmittit, vt ab orthodoxis maioribus, & religionis, sanctimonia, innocentia exemplis affluentissimis, ne latum quidem vnguem decedant, quin immo anteire religiosissimè contendant, quibus Sanctissimis Principibus vitam prolixam Deus donet, orant boni oẽs. *Ferdin II. omnia regna resignat patrueli.* *Sanctã vitam cum coniuge Elisabetha ducit.*

10. *VVenceslaus I. excepit, natus Anno Christi 1561. Neapoli, eques Melitensis, qui Anno Christi 1570. cum Anna Sorore & Alberto fratre in Hispaniam profectus ibidem obijt, Anno Christi 1579.* *Eques Melitensis.*

11. *Fridericus VII. Austriacus, natus Lintzij, 21. Iunij, A. C. 1562. Obijt Oniponti A. C. 63. in monasterio Stambsiano sepultus.*

12. *Maria V. Austriaca, soror Friderici, nata Neapoli Austriæ 19. Febru. Anno Christi 1564. obijt Viennæ 26. Martii eiusdem anni, sepulta ad D. Stephani.*

13. *Carolus IV. Austriacus, natus Viennæ Anno Christi 1565, 26. Septemb. Obijt ibidem 23. Maij. Anno Christi 1566. Sepultus ad D Stephani.* *Discalceata Madridij.*

14. *Margareta VI. Austriaca, nata Viennæ anno 1567. 25. Ianuarii, ipso die festo Conuersionis S. Pauli, Deo castitatem vouit, viuitq; hodie vitam sanctissimã in discalceatarum monasterio Regio Madridij in Hispania, Princeps omnium virtutum in tam seuero Ordine, exemplar.*

15. *Leonora Austriaca IV. nata Viennæ 4. Nouẽbris. Obiit Pragæ Anno Christi 1579.*

Proles Caroli II. Austriaci.

Ferdinandus II. Caroli II. Austriæ Archiducis, Ducis Styriæ, Carinthiæ &c. filius Ferdinandi I. Nepos Philippi I. Hispaniarum Regis pronepos, Maximiliani I. abnepos, Friderici IV. Pacifici trinepos, natus Grætii 9. Iulii. Anno Christi 1578. Adolescentiam in aula Bauarica studiaque Ingolstadii feliciter & fructuosè, solido quinque annorum curriculo decurrit, cuius Academię Rectorem magnificum egit, eruditorum cultor singularis. Religionis fideique orthodoxæ Zelator eximius, pietatis in Deum, Cœlitesque speculum, obseruantiæ in superiores, in pares mansuetudinis, in inferiores *Educatus in aula Bauarica.*

clementiæ exemplar. Anno Christi 1600. Mariam Annam Guilielmi V. Bauariæ Ducis filiam, Maximiliani Bauariæ Ducis, Bellatoris inclyti sororem, duxit, tantæ sanctitatis Principem, vt iure merito Sanctis adnumerari possit. Ex qua quinque liberos sustulit: Ioannem Carolum Austriacum IV. natum Grætii 1. Nouembris, qui obiit Anno Christi 1605. Ferdinandum Ernestum IV. natum ipsa S. Margarethæ 13. Iulii Anno Christi 1608. Mariam Annam Austriacam IX. natam XIII. Ianuarii. Anno Christi 1610. Cæciliam Renatam, natam XVI. Iulii, Anno Christi 1611. Leopoldum VVilhelmum VI. natum 6. Ianuar. Anno Christi 1614. Eius Coniunx sanctissima ex humanis abiit Anno Christi 1616. incredibili omnium orthodoxorum mœrore. Mater stirpis Cæsareæ, quam licet, ipsa non viderit, tamen dedit: nunc immarcessibili fruens corona, quod & Imperatoriam habuisset in hac vita, si vixisset. Cum qua paribus animis ac concordibus, & ab eius transitu ad immortalitatem rerum pulcherrimarum cursum, quem ab incunabulis, ipsisq; iudicij annis exorsus fuerat pleno gradu, decurrit; sed etiam eiusmodi æternarum monumenta virtutum, posuit liberis, consanguineis, clientibus, subditis, Regibus monarchisque orthodoxis, quin & Barbaris atque à fide vera alienis Mahumetanis, vt omnium oculos in se conuerterit, & patratorum operum seu per se, seu per alios admiranda fœlicitate in stuporem traxerit. Fundamentum Austriacæ monarchiæ statuens, quod Rudolphus I. Maximilianus I. ambo Conditores statuerunt, videlicet Augustissimi Sacramenti Eucharistiæ cultum θεοσέβειαν & saluificæ Crucis ac Crucifixi, adorationem, eiusmodi, vt si liceret historicum agere, & veritati euidentissimæ sinus pãdere, miraculis diuinitus editis, circa ipsũ Cæsarem reddere possem testatissimam, sed humilitas eius id nequaquam permittit. *Timentes Dominum non deficient omni bono,* id est nullo, *quia desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite coronam de lapide precioso.* Nã vti sanctissimæ Eucharistiæ Crucisque cultores Deus extulit, domi, foris: in pace ac bello, publice ac priuatim, perinde quoque Ferdinandum extulit, & efferet porro, vt inimici eius cõfundantur retrorsum & pereant, & vero boni omnes epulentur & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia, vbi præsertim admirabili exẽplo in sancta septimana propriis manibus tot millia pauperum quoque pascuntur, & tanti Principis, munificentiam experti, humilitatem quoque in humili pedum lotione didicerunt. A. C. 1600. posteaquam diu cum diuersis Mundi Monarchis, & ipsomet quoque summo Pontifice deliberasset super vniuersali suarum prouinciarum ac ducatuum conuersione, neque quisquam illorum absolutè, quid sibi faciendum esset decerneret, sed potius in contrarium irent, SOLI DEO CONFIDERE

Proles eius vtriusque sexus.

Cultor Crucifixi singularis.

FIDERE VNO DEO NITI. Ipſi propoſitum erat, & in tam arduo animarum negotio os Domini conſulere. Itaque votum D. Virgini Lauretanæ dixit, ad eamque pedes cum religioſiſsima coniuge, raro exemplo, per aſpera viarum, inacceſſaque ſoluendi cauſſa perrexit, Regium identidem & dignum Regis ac Martyris Ermenegildi nepote dictum corde & ore efficaciter voluens. *Malle ſe cum coniuge, Matre, ſororibus, extorrem mendicare, quam in grege ſibi credito pati diutius hunc fidei Catholicæ, Eccleſiæ & Deo inuiſam iniuriam.* Cumque ſacra exomologeſi conſcientias expiaſſent, & Sanctiſsimam Euchariſtiam non ſine manifeſtis diuinæ voluntatis oraculis ſũpſiſſent, domũ redeũtes vti, auſpicato illã conuerſioné exorſi ſunt, ſic quoque feliciter perfecere cum totius orbis Chriſtiani ſtupore. Itaque Anno Chriſti 1601. tres ducatus illos Styriam, Carinthiam, Carniolam ad fidem Catholicam in totum perduxit, de quo ita ſpiritu prophetico P. Georgius Scherer vaticinatus eſt, cuius verba ex germanico in latinum per me tranſlata appoſui. Anno Chriſti inquit 1601. plenaria reformatio & reductio trium ducatuũ felicẽ finẽ ſortita eſt. Quot, quæſo, animarum hominumque millia ſeruata ſunt, quæ cum tota poſteritate perijſſent. O nobilis Archidux Ferdinande, quantum tu gaudium in cœlo & in terra hoc ſalutari Reformationis opere excitaſti? Deus TE, TVAMQVE proſapiam perpetuis temporibus in hac & altera vita ſuæ gratiæ benedictionibus adimplebit. Memoria tua Sereniſ. Archidux nunquam extinguetur. Tuum honorificentiſsimum nomen, & toto orbe celeberrimum nulla obliuione obſcurabitur. Tu ipſe in illibatæ tuæ conſcientiæ penetralibus de hoc heroico tuo opere gaudes: gaudent Angelorum chori omnes, Chriſtianus orbis vniuerſus; trium tuorum ducatuum ſubditi præ gaudio pari triumphant, ſeſe exoſculantur inuicem, & amplectuntur, quod tandem aliquando firmiſsimè apprehenderint quid credendum ſit, nec inſtabili impoſterum vento huc illucque dubij agantur. Lupi exacti ſunt, Synagogæ hæreticę diſsipatæ, templa, dicaſteria, Scholæ innouatæ, reuulſa zizania, nouitates antiquatæ; falſa doctrina eradicatã, hęreſes exciſę; priſcus & orthodox⁹ religionis cultus poſtliminio reuocatus, fides Maiorum & reſtituta & introducta. O gaudium! O iubilũ! O tripudiũ! Angelici Chori in cęlis prę gaudio exiliunt, boni oẽs congratulantur, votiſque optatiſsimis T. Seren. proſequuntur. Phariſęi & Legiſperiti duntaxat ogganiunt ac toruum vident. Ita Georgius & cæt. Verum illi non tantum Phariſęorum perſonam ſuſtinuerunt, ſed & rebellium, qui iniuſtiſsimis armis arreptis aduerſus diuinitus datum Regem, plus quam Turcica & Barbarica rabie ſęuierunt, nec prius modum feciſſent, quam non modo Regem & Cęſarem, verum omnes etiam Catholicos vna internecione deletos vidiſſent. Bellum cum Venetis acerrimum geſ-

Pedes Lauretũ petit.

Dom. 3. poſt Trinitat. Gaudium erit ſuper vno peccatore &c.

Vaticiniũ de felicitate Ferdinan. II.

sit & diuturnum, Anno Christi 1616. 7.18. eosque ad pacis conditiones petendas admittendasque coegit, ipsismet hostibus admirantibus, vnde Ferdinando tanta rerum gerendarum, gestarumque felicitas, cum Veneti humanitus multo potentiores viderentur, ipse vero diuinitus victoriam mirabili modo identidem acciperet. Et quia incredibili patientia, calamitates ac iniurias illatas exsorbuit, ad summum in terris fastigium, diuina Bonitas frendentibus omnibus hæreticis atque æmulis, illum extulit, adeo vt anno 1617. in Bohemiæ, Pragæ: anno 1618. Posonij in Regem Vngariæ consecraretur, & denique Anno Christi 1619. 28. Augusti, ipso D. Augustini in Regem Romanorum Francofurti eligeretur, communibus Electorum omnium suffragijs, & 9. Septembris solemni ritu in Basilica D. Bartholomæi Francofurti per Reuerendiss. Electorem Moguntinum coronaretur. Cui Deus *vitam & victoriam* adiiciat porro enixè petimus. Nec fallimur. Triumphator enim omnium hostium, Ducum ac bellatorum suorum fortissimorum solertia, magnanimate, prudentia, inuictoque animi robore euasit. Quid non Comes Bucquoyus exiguo milite in summis angustijs aduersus 60. millia rebellium effecit & Tampierius? Quid non in memorabilissima ad mœnia ac suburbia Pragæ victoria Serenis. Maximilianus, cæsis tot millibus, castra hostium tormentaque occupante fortissimè Bucquoio? Quid non fidelissimus Cæsari Ferdinando religione fœderum Lusatiam subigens Elector Saxoniæ Ioannes Georgius? Quid non illa duo Martis fulmina Ambrosius Spinola, & Henricus Comes de Monte in Palatinatu, aspiciente Protestantium exercitu, & diuinitus velut siderato, vt nimirum domitis inimicis, in diebus eius iustitia & abundantia pacis oriatur, & in pulchritudine pacis per totum Imperium inconcussi clientes sedeant id faxit Omnipotens & Misericors Deus, &c.

Triūphator hostiū Ferdin. II.

Fratres & sorores Ferdinandi II.

Regina Polonia prior.

1. FErdinandus V. Austriacus, natus Iudenburgi 25. Iulij A.C. 1572. Obijt ibi dem sepultus in Cœnobio Seccouiensi.

2. Anna VIII. Austriaca Regina Poloniæ, nata Grætij XVI. Augusti A.C. 1573. nupta A.C. 1592. Sigismundo III. Sueciæ nato, & Poloniæ electo Regi Ser. & celebratissimo. Ex qua Vladislaus Princeps Poloniæ, Moscouiæ Dux Magnus.

3. Maria Christierna VI. Austriaca, nata Grætij X. Nouemb. nupta Sigismūdo Battoreo Transyluaniæ Principi.

4. Catharina Renata Austriaca, XI. nata Grætii V. Ianuarii A.C. 1576.

5. Elisabetha XII. Austriaca, nata Grætij 13. Martij A.C. 1577. Obiit 29. Ianuarij.

nuarii, anno 1580. sepulta in Cœnobio Seccouiensi.
6. Ferdinandus Cæsar.
7. Carolus V. Austriacus, natus Grætii 17. Iunii A. C. 1579. Obiit ibidem 17. Maii, anno 1580. sepultus in Cœnobio Seccouiensi.
8. Gregoria Maximiliana Austriaca, nata Grætii 12. Martij A. 1581.
9. Leonora V. Austriaca, nata Grætii 15. Septembris A. 1582.
10 Maximilianus IV. Austriacus, in Confirmatione dictus Maxim. Ernestus, natus Grætii 17. Nouembris. A. 1583. Obiit A. C. 1616. Grætii in Septemb. Princeps excellentissimus, vtpote qui à patruo Maximiliano Ordinis Theutonici Magistro Magno, incredibili sui desiderio excitato, à generali capitulo Marienthemii in Coadiutorem electus fuit.
11. Margareta VII. Austriaca, Hispaniarum Regina, Nata Grætii 25. Decembris A. C. 1584. nupsit Philippo III. Hispaniarum Monarchæ Valenciæ. A. C. 1599. Obiit 15. Octob. A. C. 1611 maximo omnium hominum luctu; desiderium Hispaniæ, mater pauperum & pupillorum, vitę integerrimæ ac sanctissimæ, in partu Alphonsi Mauritii Cari, filij mortua.
12. Leopoldus V. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c. Episcopus Argentinensis & Passauiensis, Lantgrauius Alsatiæ, Natus Grætij 9. Octobris Anno Christi 1586. Mortuo Anno Christi 1609. Duce Ioanne Guilielmo Duce Iuliæ, Cliuiæ, Montium, &c. legationem in prouincias Iuliacenses, nomine Rudolphi Cæsaris & Imperij suscipit animo imperterrito. Solus autem Protestantium Germanorum, Francorum, Anglorum, Hollandorum armis impar, prouincia excedit & in religionem auitam propagandam zelosissime, per Alsatiam, Argentinensem, Passauiensem diœceses incumbit, dum templa, Collegia Patrū, Academiam Molsheimensem Anno Christi 1618. condit, vt cum Rudolpho IV. Austriaco titulum gerere possit Fundatoris. Nunc Ferdinando Cæsari omnino frater eiusmodi, cuiusmodi Friderico III. cum Ludoico Bauaro electo fuit Leopoldus primus eius nominis inter Habspurgi Austriacos. Amplissimam Tyrolensium ditionem nunc hæres gubernans, insigni fortitudine Heluetiorum quorundam potentiam occupatis vallium faucibus & angustijs, per quas duntaxat transitus patebat, incidit, ingentique metu perculit, quod ad priscam obedientiam se reuocatum iri viderent. Solemne hoc symbolum in ore habens, *Pietas ad omnia vtilis.*

Iuliacēnomine Rudolphi II. occupat.

Fundator vocandus.

Heluetios cohibet.

13. Maria Magdalena Austriaca I. nata 7. Octobris A. C. 1587. nupta Anno Christi 1608. Cosmo Mediceo Ferdin. Medicei filio, Magno Duci Hetruriæ IV.
14. Constantia I. Austriaca Poloniæ Regina, nata Grætii 24. Decembris, A. C. 1588. nupta ab obitu sororis Annæ VIII. Poloniæ Reginæ, Sigilmundo

Regina Polonia posterior.

do III. Regi dispensante Paulo V. Pontifice Maximo.

Carolus VI. Austriacus posthumus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ &c. Episcopus Vratislauensis, & Brixiensis Natus VII. Augusti Anno Christi 1590. Princeps Austriacarum vt ditionum, sic & virtutum hæres omniũ ex asse ob singularẽ in Deum Cælitesque pietatem, religionis Orthodoxæ zelum, humilitatem, modestiam, castimoniam, prudentiam: ob aditam cõprehensamque ἐγκυκλοπαίδειαν, ob mansuetiores seuerioresque Musas insigniter haustas, ob altiora facultatum principalium sacraria obita, earumq; sinus reconditos excussos, vt in hominum eruditorum perspectas indoles, haud secus atque Albertus II. Imperator feratur &c. Defuncto Maximiliano III. patruele, Anno Christi 1618. in locum eius surrogatus Magister Magnus Ordinis Theutonici creatur communi equitum religiosorum suffragatione, nõ ante tamen quã suscepta cruce Ordini illi, Magnoq; Magistro cũ spe successionis coadiutor datus. Anno Christi 1621. 12. Martij, ipso D. Gregorii in Metropolitana Ecclesia Colon. omniũ suffragijs Episcopus Chori electus est. Nunc in Cæsaris fratris defensionẽ noctu, interdiu, publicè priuatimque solers euigilat, vt hostes rebellesque subigantur.

Eruditus Archidux

Magister Ord. Theutonici.

Hæc de Maiorum Imaginibus Serenifs. Ferdin. II. quod vero ad maternam lineam vxoriamque attinet, videbis eam in Ferdinando Electore, & insigni arbore domus Lotharingiæ, vt Lector videat, qualis Cæsar, Maiorum suorum meritis & propriis sit, quem Electores rite communibus suffragiis elegerunt.

Finis Libri primi.

LIBER

DE ELECTIONE FERDI-NANDI SECVNDI AVSTRIADÆ FRANCO-furti in Regem Romanorum.



Ferdinandus ergo I. vti ex genealogia intelleximus, ex augustissima Austriorum, omnium retro seculorum, & forsan venientium familia, Hispaniarum Infans, Philippi primi filius, Maximiliani. I. Nepos, Caroli V. Maximi frater germanus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ & cætera, Romanorum Imperator semper Augustus, Maximilianū II. & Carolum fratres genuit, illi Austria, Bohemia, Vngaria & Alemanniæ ac Romanorum regna cessere, vt etiam adhuc viuente Patre coronaretur, tanquam Maiori domus & Primogenito, alteri, Carolo scilicet, vt secundogenito Styria, Carinthia, Carniola ducatus &c. Illius filij Rudolphus II. Matthias DD. Imperatores, Ernestus, Maximilianus, & Albertus solus superstes Archidux Austriæ, Dux Brabantiæ & Belgarum Princeps optatissimus, omnes improles. Carolus frater Maximiliani II. Augusti, præter alias proles numerosas, tres filios quoque ex Maria Bauara suscepit Ferdinandum II. Leopoldum, Carolum posthumum adhuc in flore ætatis vegetos, sanguinis censitione serenissimos, virtutum admirandarū possessione nobilissimos, & Catholicæ religionis propugnatione zelosissimos heroas. Ex quibus secundum inuestigabiles diuinæ Prouidentiæ tabulas Ferdinandus, patruelibus suis Maximiliano & Alberto senio æuoque fessis, recusantibus, & cum D. Augusto Matthia religiosissimè procurantibus, hæres successorque auitarum regionum Austriæ, Lusatiæ, Tyrolis &c. instituitur, Rex Bohemiæ & Vngariæ eligitur, dicitur, & coronatur, & tandem anno *M. D. CXIX.* Rex Romanorum & Imperator semper Augustus salutatur, vnanimi omnium Principum suffragatione ad diem 28. Augusti, & 9. Septemb. coronatur, cum fatis D. Matthias Augustus concessisset bonorum omnium grauissimo mœrore, quod iustitiæ patronum & religionis defensorem egisset acerrimum, dummodo firmiore valetudine ac longiori vita illum donari Imperator summus voluisset.

Auus paternus Ferd. II. — *Pater Ferd. II.* — *Fratres Ferd. II. Leopoldus & Carolus.* — *Rex fit Vngariæ & Bohemiæ.*

Illo igitur rebus humanis exempto 20. Martij anno *M. D. CXIX.* Elector Moguntinus, S. R. Imperij per Germaniam Archicancellarius ex præscripto Aureæ Bullæ diem Electioni Francofurti dicit, videlicet diem 20. Iulij stilo nouo, vt trium mensium spatium habeant Electores, quo sese præparent.

Archicā. German. Mogunt. indicit comitia Electorum.

rent, nec duobus Imperij Vicarijs, Saxoni ac Palatino, ius interregni tempore non deminuatur; excusat tamen grauis necessitas. Omnibus quoque Electoribus Imperij per litteras intimationis vt vocantur in Bulla, denuntiat, sese ad illum diem vel circiter sistant, ac de nouo Cæsare deligendo consultent, statuantq; concordibus linguis & votis, quem afflictis Germaniæ rebus præficiant. Imprimis verò ciuitas Imperij libera Francofurtum veteri consuetudini laudabiliter inhærens, intellecto ibidē Electionem Regis Romanorum de more instituendam, militem præsidiarium sub signa cogit mille circiter capitum, eique Chiliarcham, cēturiones ac vexilliferos præfigit, in quinque vexilla distributum: Equitum numerosam phalangem, quam in quatuor alas seu turmas ex ciuibus potissimū coactam, erat dispertita. Militum ciuiumque delectus agit, omniumque indigenarum militiæ capacium armilustrium, qui Principibus Electoribus securitatem præstent iuxta Bullam auream, ab inuasione mutua & hostium insidijs, solerti diligentia, ac fideli studio in virtute iuramenti facti, protegant ac defendant. Quare vero illa Francofurti electio Regis Romanorum instituatur, notum est ex Aurea Bulla Caroli IV. vbi ad illum locum adeo restringitur, vt ad iuris obseruantiam, nisi grauissimæ causæ obsistant, trāsferit. Ex Sleidano namque deducitur, ideo Anno Christi 1530. Electorem Saxoniæ Ioannem grauissimè in Electorem Moguntinum Archicancellarium inuectum fuisse, quod conuentum Electorum Coloniæ, ad Regem Romanorum eligendum, indixisset, in cuius potestate esse non volebat, alio in loco præterquam Francofurti indicere, nisi collegæ grauibus de causis permittant. Ante conditam Bullam Auream incerti loci fuit, multi tamen Regum ibidem electi. Otto II. VVormatiæ; Henricus II. Moguntiæ. Henricus III. Aquisgrani. Henricus V. apud Triburiam, Henricus V. Coloniæ, Otto IV. quoque contra Philippum Sueuiæ ducem Coloniæ Anno Christi 1198. Conradus Sueuus Confluentiæ, Rupertus in Rens & sic de cæteris. Francofurti Fridericus I. Barbarossa. Rudolphus I. Adolphus. Albertus I. Ludouicus IV. Bauarus. Omnes hi ante Bullam Auream conditam. Post illam plurimi Francofurti electi Et ratio subest à lege lata petita. Si quis enim formam legis non seruet, aut solemnitatem eiusdem, licet in re minimâ, actus eiusmodi ipso iure nullus censetur, vt tradunt commentatores Bullæ Aureæ. Quod si temporum malignitate, cœli inclementia, aut pestilitate hæc ciuitas infecta fuerit, citra religionem alio in loco conuentum Electorum potest indicere Moguntinus, quem nemo carpere iccirco posset, non esse rite nec ordine ob non seruatū electoralem locum conuentum talem indictum. Tenor Bullæ fere est eiusmodi, quem ciuium, aliorumque interesse posse, qui obedientiam S. R. Imperio professi sunt.

Francofurti.

Iniun-

Iniungimus autem ciuibus Francofurtensibus & mandamus, vt ipsi vniuersos Principes Electores in genere, & quemlibet eorum ab inuasione alterius, si quid inter eos aduersitatis emergeret, & etiam ab omni homine, cum omnibus eorum hominibus, quos ipsi & eorum quilibet in præfato ducentorum equorum suorum numero, ad præfatam duxerint ciuitatem, in virtute iuramenti, quod super hos ipsos ad sancta præstare statuimus, fideli studio, & solerti diligētia protegant ac defendāt, alioquin periurij reatum incurrant, & nihilominus omnia sua Iura, Libertates, Priuilegia, Gratias & indulta, quæ à sacro obtinere noscuntur Imperio, omnino amittant. Bannum quoque Imperiale, cum personis, & bonis suis omnibus incidant eo ipso: Et liceat ex tunc omnium hominum authoritate propria, & sine iudicio ciues eosdem, quos eo casu ex nunc prout ex tunc, omni Iure priuamus, tanquam proditores infideles, & rebelles Imperij, impune inuadere, ita quod inuadentes huiusmodi, pœnam quamcunque à sacro Imperio, vel quouis alio, nequaquam debeant formidare. Ciues insuper antedicti Francofurtenses per omne tempus illud, quo super Electione sæpe dicta tractari, & agi contigerit, nemine in præfatam ciuitatem, cuiuscunque dignitatis, cōditionis vel status extiterit, intromittant, vel intrare quouis modo permittāt, Principibus Electoribus, vel eorū nuntijs & Procuratoribus antedictis, duntaxat exceptis, quorū quilibet cū ducentis equis debebit, vt prædicitur, intromitti. Si verò post ipsorū Principū Electorū introitū, seu in ipsorū præsentia, in præfata ciuitate aliquem reperiri cōtigerit, illius exitum ciues ipsi debebūt absq; mora & cū effectu protinus ordinare, sub omnibus pœnis, contra ipsos superius promulgatis, & etiā in virtute iuramenti, quod ciues ipsi Francofurtēses super eo, virtute præsentis constitutionis præstare debebunt ad sancta, vt in præcedētibus est expressum. Hæc ex B.A. *Pœna s' prævaricL turqua?*

Vt aūt penitius inuestigemus quamobrem Archicancellarij nomen Moguntino & cæteris Ecclesiasticis Electoribus tribuatur, sciendum est, inde promanare, q decreta Cæsarea passim scriberēt, illaq; fideliter custodirent, nō quidem quasi ipsi scribas aut Commentarienses agerent, sed q omnibus illius ordinis viris velut summi ac supremi Cancellarij præsiderent, & imperarent, quorum institutionem ab Ottonis Magni temporibus deducunt: Moguntinus ad Carolum Magnum eiusdem officij & dignitatis originem referre in rebus Moguntiacis docet Serarius. Iccirco autem Archicancellarius Germaniæ, seu Ἀρχιλογοθέτης, seu μέγας λογοθέτης, siue Generalis Logotheta, immo illustris Collegij Principum Electorum Decanus appellatur, penes quem Archiuum publicum Imperij seu Chartophylacium existat, in quo publica Imperij documenta actaque ad posteritatis memoriam asseruantur, quæ in Comitijs Imperij, deputationibus, conuentibus, diætis, visitatio- *Cur Ecclesiastici sint Archicācellarij.*

tationibus, alijsque curijs solemnibus peraguntur: quin immò Matriculam Imperij penes se custodit, cuius si vsus incidat, illico ab eodem consensu Electorum, seu de mandato Cæsaris exigitur. Consilium Imperatoris aulicú cum Cancellaria eidem iuramento obstringitur, denique ex plenitudine potestatis, decreta imperialia consignat, & comitia interregni tẽpore pro eligendo Rege indicit, litteris intimat, & Nunciis Francofurtum citat. Coloniensis quoq; perinde sese gerit per Italiam; & Treuerensis per regnum Arelatense, & illam Galliæ portionem, quæ Imperium Romanum agnoscit. Verum hæc sufficiant, cupienti cognoscere, quid Archicancellariis & præsertim Moguntino, dignitatis intuitu faciendum incumbat.

Elector Mog. venit Francofurtũ.

Dispositis igitur omnibus à Francofurtensi Senatu 20. Iulii, qui fuit dies Sabbathi, Elector Moguntinus per Germaniam Archicancellarius Ioannes Suiccardus, iudicio, prudentia ac pietatis fama, per Imperium celebratissimus, & in viridi ac nunquã satis laudata sua senectute: miserabili Imperii fortuna, ac præsẽtissimis periculis omnibus excelsior, ex antiquissima, nobilissimaque Cronebergiorum gente prognatus, duorum Imperatorum, Elector & Coronator, ante trecentos & vltra annos raro exemplo Episcopũ VVormaciensem Evverninum à Croneberg inter imagines numerat. Vrbem Francofurtensem adiit nonam inter & decimam antemeridianam, cui primores quatuor ex senatu deputati cum LXXXX. equitibus obuiam processere, ipsumque Electorem CCXXX. equitibus cinctum, quos inter Domini perplures ac Nobiles, præeũtibus, L. equitibus sclopetariis, quos vulgo Bandilirios vocant, per citeriorem vrbis partem & operosum Mœni pontem in palatium, signo bouis notatum, honorificentissimè deduxerũt. Et Ecclesiastici quidem Electores in persona adfuere, verum seculares per legatos & Cõmissarios rẽ egerunt, videlicet Palatinus, Saxo & Brandeburgicus, per eos potissimum, qui operam suam in diuersis Imperii curiis egregie probassent, quos Bulla Aurea legales Nuncios vocat, & qui longè diuersas functiones ab minoribus Imperij Officiarijs sustinerent. Nam legales Nuncios ad Comitia Regis eligendi mittere penes arbitrium est Electorum: Dignitatis vero & officii Electoralis vicarios statuere non est, quod iisdem ex Imperii Cæsarumque infeudationibus ac diplomatis, iam fere ab Origine Electoratuum antiquitus conueniat. Sunt autem hi. Regis Bohemiæ in eiusmodi Comitiis, vti Archipincernæ Cæsarei vicarius, seu Pincerna hæreditarius est Baro de Limburg. Archidapiferi Palatini hæreditarius dapifer est Truchsesius de VValpurg. Saxonis Archimarscalli Marescallus hæreditarius est Baro de Pappenheim. Brandenburgici Archicamerarii hæreditarius Camerarius est Comes ab Hohenzollern, ex qua Hohenzollenrorum familia moderni Electores suam stirpem deducunt. Et licet

fre-

frequentius grauissima lis de iisdem officiis in Electione & Coronatione Regis inter Nuncios & hæreditarios vicarios, excitata fuerit, tamen in Coronatione Caroli V. & Matthiæ I. aduersus Nuncios pro hæreditariis vicariis pronũciatum decisumque fuit. Et licet de iisdem in Episcopatu Bãbergensi legas, paribus officiis eosdem quatuor S. R. I. Principes Antistiti esse obligatos, caue sis, vt putes illos feuda Electoratus ab Antistite illo per inuestituram accipere, verum singulari Henrici II. Sancti fauore, ac gratia, qua in Episcopatum à se, ex comitatu mutatum fundatumque Bambergensem seu Papebergensem talia ornamenta esse congesta, vt iidem eius essent Vicarii & feudatarii qui Imperatoris: & longe alios quoq; Vicarios haberent. Vice Pincerna Bohemiæ esset familia Nobilis ab Auffseß. vicedapifer à Pomersfelden siue Truchsesius. Vicemarescallus von Ebnet & Vicecamerarius von Rotenhan: at solum vicarii officiorum, suorũ Principalium, in iis feudis quæ ab Henrico II. sancto ad sustinendam Bambergẽsis Antistitis dignitatem, accepissent, ideoque Protectores simul agerent & Bambergam ipsam mœnia non habentem, emunirent, essentque sericeum D. Cunegundis filium (vulgi fama) qua intemerata Virgo mœnium loco vrbem vellet esse firmatam. Eodem die circa crepusculum vespertinum Illustrissimi Ioannis Georgii Electoris, & Ducis Saxoniæ, Iuliæ, Cliuiæ, Montium &c. S. R. I. Archimareschalli Nuncius seu Procurator, videlicet Generosus Comes VVolffgangus à Mansfeldt, cum Consiliarijs, Nobilibus, & XL. equitibus accessit, quem pari apparatu excipiens Senatus, vsque in palatium, (aureum lapidem vulgo vocatum) debita cum obseruantia, est prosecutus.

Legatus Nuncius Elector. Saxonia Com. Mansfeld.

Die Dominico, qui fuit XXI. mensis Iulij, aduenit Generosus D. Ioannes Albertus Comes in Solms & Lich cum rhedis aliquot, & equitibus Illustrissimi Principis Electoris Friderici V. Comitis Palatini Rheni, &c. S. R. Imperij Archidapiferi Nuncius, & à deputatis Senatus, atque vrbicis equitibus est introductus, pari numero equitum cum Saxonis Legato instructus.

Legati Nuncius Palatini Com. Solmensis.

Hunc feria secunda XXII. Iulij, Dominus Adamus Gans, Dominus in Putzlitz. VVolffeshagen & VVittenberg, Electoratus Brandenburgensis Mareschallus hæreditarius, & Illustris. Principis Electoris Ioãnis Sigismũdi Marchionis Brãdenburgẽsis S. R. Imperij Archicamerarij, Borussiæ, Iuliæ, Cliuiæ, Montium &c. Ducis, Nuncius est insecutus, quem in palatium suum, vulgo Saalhoff dictum, rhedis equitibusque 63. egregiè stipatum deduxerunt; quod palatium Francorum Regiam seu Salam fuisse antiquitus, eruditiores conijciunt.

Legatus Nuncius Brandenburgici Baro Putzlitz.

Feria tertia XXIII. Iulij, Deputati Senatus, cum suis equitum alis, circiter

eorum facinoribus, omni immortalitate dignissimis, insignem animi fortitudinem & orthodoxi pectoris constantiam, exhibuerint, quod incumbentibus hæresum machinationibus, & intentatis bellorum tumultibus ne quidquam mouerētur, inprimis quoque Serenisss. Electoris Colonienf. vti fratris ipsiusmet Cæsaris in tot conglobatis periculis spectata virtus adeò emicuit, vt illud Sapientis possimus vsurpare: *Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi Ciuitas firma.* Præterquam enim quod Serenissimæ Regiæ Imperatoriæ & vere Catholicæ Domus Bauaricæ sit surculus floridissimus, & immortalium fructuum fœcundissimus, quibus tot animarum millia pascat, & ab interitu indefessus vindicet, Diuina etiam largiente clementia adeo consilii potens, adeo rerum tractandarum & euentuum dubiorum prouidus, adeo Iustitiæ & æquitatis obseruans, & ante omnia auitæ fidei, vt Imperii labantis ruinas oppositu imperterriti inuictique animi prohibuerit, Ferdinando Ferdinandus, fratri frater. Omitto secundum S. R. I. Circulum Bauaricum hæreditarium, cuius Serenis. Frater Dux Maximilianus Præfectus est, & quæ domi militiæque discrimina ac difficultates sese dant, consilio armisque decidit, & æquissimus diribitor sopit. Quantū ergo sanguinis nomine & Prouinciarum hæreditariarum ex parentelæ. Sereniss. vinculo possit, in confesso est. Nunc quantum ratione Dignitatis Electoralis & Archicancellariatus, & aliorum sanctissimorum munerum possit, videndum est. Quam enim male, esset nobis, qui non solum in vbiis ad Rhenum sparsi sumus & per conterminas terras diffundimur in sexto Circulo S. R. I. quatuor Electorum; verum etiam illis, qui in septimo Inferioris Germaniæ circulo VVestphalico continentur, vbi Eburones Hildesii, Monasterienses Paderbornenses &c. vastissima terrarum spatia inhabitant, nisi sub tanti Principis præsidio tranquillam vitam ducerent, & nisi oculata illius adeo impense euigilasset prudentia, æmulorū lubricis technis futelisque dolosis superior, nisi sanguinis ordinisque Maiestas & nominis gloriosissimi, virtute ac labore parti plenitudo orbē Christianum barbarumque occupans hostium aciem obtudissent, ignominiosa caligine Ferdinandum II. riuales contexissent. Vnam enim salutem Imperii pro scopo sibi Princeps Zelosissimus iuxta ac potentissimus secūdum Deum præfixerat, qua fluctuante, ac capite deminuta, nec suas prouincias, ingens Romani Imperii portio, saluas esse posse probè videbat. Quare illa insigni constantia, ac illa singulari in Deum fiducia nixus, feliciter cum Electoribus pupillis patrem, Imperio Cæsarem, Ecclesiæ Aduocatum ac defensorem incassum frendentibus æmulis, dedit. Pro quo beneficio Serenis. nostro, & Sacro isti Principum Electorum Senatui æternum Orthodoxi obnoxii deuotique manebimus. Vt quos semel supremum Numen pro inexhausta

Potentia.

Zelus & magnanimitas.

Schiren. & Palatinus, Baioariæ ex Richsa Ottonis I. sorore, Berchtoldum Sciren. Comitem & Palatinum Baioariæ, qui cum Ottone II. in Calabriam profectus contra Saracenos ibidem occubuit, anno 982. Huic filius VVernerus, qui ex Beatrice filia Sophiæ sororis Colomanni Regis Vngarorum suscepit Ottonem I. & Babonem II. Huius filius Babo II. qui obijt 1030. Otto I. Schiren Princeps & Palatinus Baioariæ qui ex Tuta filia Comitis Nassauien. procreauit Otthonem II. Aduocatum Ecclesiæ Frisingen. Mox Otto III. filius Comes de VVittelsparch Palatinus Baioariæ qui ex Agnete Lotharingiæ Ducissa sustulit Ottonem IV. Comitem VVittelsbacen. qui à magnitudine animi, prudentia, insigni armorum peritia, & rerum gerendarum fœlicitate magnus dici promeruit, & à Friderico I. Dux Bauariæ designatur anno 1180. Abdicato Procerum suffragijs in Comitijs Ratisponensibus, Henrico Leone Boioariæ & Saxoniæ Duce & ita familia VVittelsbacen. Ducalem dignitatem, ab annis 232. prærepta recepit, & in hodiernum diem vsq; retinet fœliciter. Is Ludouicũ procreauit Ducẽ, & Septemuirum à Friderico secundo institutum, & Comitem Palatinum Rheni. Occisum Keilhemij ab Assasinis infidelibus testante ac deplorante Innocen. Papa IV. opera Friderici II. illum ob virtutem auersati. Comes & Palat. Bau. Bertold. VVerner. Babo 1. Babo 2. Otto 1. Otto 2. Otto 3. Co. VVittelsb. Pal. Otto IV. Magnus. VVittelſ. familia ducatum recipit Bauaria. Ludouic. I. Elector.

Ab hoc Otto V. Dux Septemuir & Comes Palatini Rheni, Princeps armis clarus, cui & filius fuit Ludouicus II. Seuerus ob Mariam coniugem decollatam sic dictus innocentem, quam thori fidem temerasse suspicatus fuerat, cuius facinoris pœnitudine ductus, ad Ambram fluuiũ Monasteriũ Furstenfeld, fũdauit, dotauitq;. Ex filia Mechtilde Rudolphi I. sustulit, Rudolphum Palatino Boiorum Principũ hodiernorum cõmunem parentẽ, & Ludouicum IV. Cæsarem, obiit anno 1294. in Furstenfeld sepultus. Otto V. Elector. Ludouic. II. seuerus Rudolph. & Ludouicus III. fratres.

Inter Cæsares Ludouicus IV. familiæ III. Ludouici seueri filius, Baioariæ Dux, & septemuir Palatin. Rheni, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ Comes, ac Dominus Frisiæ, an. 1314. quinq; Electorum suffragijs eligitur Imperator, Aduersãtibus Electore Colonien. & Rudolpho fratre, Comite Palatino Bauaro, Princeps per omnia absolutissimus, & orthodoxus, tãetsi eius famæ, odia summorum Pontificum perperam informatorum detraxerint, quibus compulsus varia remedia conciliandi sese in sede Apostolica, quæsiuit: vnum vti instituto Pontificis non probandum.

Huius filius ex Beatrice Polona, præter Ludouicũ à se inuestitũ Marchionem, Brandenburgensem inprolẽ, fuit, Stephanus senior Dux Baio. S. R. I. septemuir, Comes Palatin Rheni. Hic notandum inter Ludouici Cæsaris & Rudolphi filios, diuisione paternarum ditionum facta, Ticini 1329. trãsactum & iuramento corporaliter prẽstito, firmatum ac per septemuiros tunc viuentes literis, sigillisque comprobatum, Electionẽ Regis Romanorum Stephan. Dux Bauaria.

norum

norũ inter vtriusq; familiæ liberos, alternis vicib' esse dispertiendã, quare a.id factum nō sit, poterit quis ex septẽuiratu & liberis Genoldi grauissimi

Ioã. Dux Bauariæ Com. Palatin. solidissimique scriptoris intelligere ad Marquardum Freherum datis. Obijt Stephanus anno 1377. Excepit eum Stephanum Ioannes Boiariæ Dux, Comes Palatini Rheni Princeps placidus & quietus, obiit Anno Christi 1392.

Ernest. & Guili. III. Cuius Ernestus & Guilhelmus III. Sigismundi Cæsaris vicarius in Imperio, & Concilii generalis Basil. Protector, filii. Obiit ille Anno Christi 1438.

Alb III. pius. relicto Alberto Pio III. filio Duce, Bauariæ, & Comite Palatino Rheni, & in Vohburg, qui oblatum Bohemiæ regnum reiecit maiore virtute, quam reiecto legitimo hærede, à Bohemis acceptasset. Obiit anno 1460. cuius fi-

Alb. IV. sapiens. lius Albertus IV. sapiens ex præclarissima Coniuge Kunigunde, Friderici III. Imp. filia, præter alios Guilhelmum IV. obiit anno 1508. & Ernestum Archiepiscopum Salisburg & Passauien. Administratorem, qui obiit anno 1560.

Guili. IV. Guilielmus IV. natus anno 1493. obiit anno 1550. auitæ religionis inter gliscentia nouitiã hæreticorum figmenta conseruator acerrimus & pro-

Albert. V. pugnator. Quem zelum filius Albertus V. inter Principes Germaniæ præclarum sidus, expressit, natus anno 1528. denatus 1579. veræ auitæque religionis Catholicæ strenuus propugnator, & assertor Iustitiæ. Sustulit ex

Guili. V. V. Socer Ferdi. II. Imp. & Ernestus Elector. Anna Archiducissa Austriæ, Ferdinandi primi Imperator. filia Guilielmũ V. Ducem, & Ernestum Archiepiscopum Coloniensem S.R. Imperii Principem Electorem, Episcopum Leodiensem &c. Guilielmus V. vtriusque Baioariæ Dux Comes Palatini Rheni, par in sustinenda religione fouendaque parenti, nascitur anno 1548. Patrum Societatis Patronus & cultor summus. Administrationi ducatus, renunciat anno 1597. vt procul negotijs & curis principalibus Deo Diuinisque rebus tanto liberius vacare posset,

Maximilianus, Philippus, Ferdinan. Albertus. suscepit ex Renata Lotharingiæ Bharique Ducis & Christianæ Danorum Reginæ filia, Maximilianum, Mariam, Annam, Philippum, Ferdinandum, Magdalenam. Maximilianus Princeps incomparabilis, religionis Catholicę iã inde à Carolo Magno, Cæsare in Serenifs. familia perdurantis inculpatè Custos assertorq; fidelissimus, Iuris & ęqui amantissimus, pacis publicæ cultor eximius, armorum tractandorum peritissimus, & in eisdem felicissimus, ita vt victoriosi ac triumphatoris nomen sũmo iure ex rebus gestis retulerit. De quo Panegyristes. *Videre te milites tui etiam in ipsis campis mensa sacræ accumbentem*, & qui religionem *oderant, virtutem tamen tuam laudabant.* Vnius certe excepta vox fuit, *tam sanctũ moribus Principem vinci non posse,*

Maria Anna. Vxor Ferd. II. Imp. Philippus S.R.E. Cardinalis de Bauaria, Episcopus Ratisponensis, natus anno 1576. obiit anno 1598. Ferdinandus Elector. Albertus stemmatis propagator, pacis & belli artibus Princeps præstabilis, natus anno 1584. die 13. Aprilis.

lis. Maria Anna, Ferdinandi Archiducis, Bohemiæ Hungariæque Regis, & Romanorum Imperatoris Augusti istius nominis II. vxor religiosissima, nata Anno Christi 1574. denata anno 1616. die 8. Martii. Sanctæ Matris, sancta filia. Magdalena nata 1587. Vxor Illustrissimi Principis Neoburgici Guilielmi VVolfgangi, Comitis Palatini, Ducis Baioariæ, Clarissimis quibusque Principibus comparanda.

Et ne sanctissimum Principem Guilielmum V. in benedictionibus prolium, singulari Dei gratia exuberantem, adeo contractè præreamus, libet ex Panegyrista Bauarico illa earundem elogia apponere, quæ post victoriam Pragensem, Anno Christi 1620. die octaua Nouembris, in octaua Sanctorum omnium diuinitus obtentam reduci, Serenissimo Maximiliano Bellatori Inuictissimo disertè licet; longe tamen meritis inferiore stylo, & rebus gestis dicit. In prouerbio enim est, bis aut ter quod pulchrum est. Sic ille: Quem animi sensum putas fuisse Serenissimo Guilielmo parenti? Guilielmo inquam, pietate & religione, per vtrumque orbem clarissimo. Fortunate senex, libet enim te pariter alloqui, nam tuus hic triumphus est, qui Filij tui est; tam tuæ quam filij æternitati in hoc honorato senio vnius interest, & virtutis tuæ amplissima præmia liberis tuis refers. Maximilianus vt natu maior, ita & factis suis sanè decus ingens, & à Serenitat. V. & ab antecedentibus longa serie progenitoribus accepit, ingens adfert Imperij Principibus bellum molientibus, armatus pacem obtulit; acceptauere, ne nunquam haberent. Austriam superiorem inuasit, & domuit; inferiorem petijt, & hoste liberauit. Bohemiam intrauit & subiecit, nouum planè genus bellandi, tribus aut quatuor mẽsibus multorum annorum laureas mereri; Filius meruit Pater etiam portat, & tanti honoris Collega est, qui in tanta fortunæ incrementa Filium genuit, & eduxit. *Panegyrici verba.*

Alter liberorum tuorum Ferdinandus, Septemuiratu inclytus, Rhenum illustrat, imò Germaniam, pietate, morum castimonia, & prudentia, Imperii nobile columen, sed cæsum ex adamante domus tuæ: iam ad summa peruenit, nec altius ire potest, tametsi, si quid esset, quo altius ascenderet, virtus mereretur. Tertius Albertus est, egregius omninò Princeps, nec à tuis virtutibus degener: eius Filii tui Nepotes senectutem tuam recreant, & stirpis ad posteros propaginem haud vanè despondent; huius igitur Filii Filiis iam frueris, & ita quidem vt alterius expectes, quem ideo fortasse Superi suspendunt, quod operosum sit ipsius imaginem dare. *Ferdin. E. lector.* *Albertus stirpis propagator.*

Sed neque mihi Philippus prætereũdus, qui licet præmaturo fato diem obierit, in luce tamen adhuc versatur purpura Romana illustris. Ostendere Numina Iuuenem incomparabilem terris, quem sibi asciscerent, cum Diuis similis esset. Ratisponæ, vbi Episcopus fuit, nobili Mausolæo, Fraterno o- *Philippus*

pere, quiescit. Carolum adolescentulum mors Salisburgi abstulit, tam bona indole Principem, vt virtuti eius ætas futura parum additura videretur: primis annis omnia habuit, & sine sua iactura mori potuit, sine sui iactura non potuit.

Maria Anna Archiducissa De filiabus quid dicam? & ipsę virtutibus eminuere: Maria Anna innocuę vitæ fœmina, Boicæ domus non exiguum decus, Ferdinando Austrio nupta, Cæsaream progeniem nondum Cæsari moriens reliquit, iamq; diademate immortali fulget, habitura & mortale, si vixisset: magnũ eius in Austria nomen, & appellantur quidã Sancti post mortem, ipsa ante mortem.

Magdalena Neoburg Altera Magdalena est, prudẽs, & grauis Princeps, quæ antequam Palatini Neoburgensis nuptijs illigaretur, pronubam habuit Catholicã religionẽ, effecitq; vt vnis nuptijs, ipsa egregio Principi fieret coniunx, & Princeps Ecclesiæ Filius, qui multa hominũ millia ad eandem adduceret, Marito & successura prole felix. Hæc Panegyristes, quę profecto eiusmodi sunt, vt merito orthodoxos oẽs insigni gaudio perfundere debeant, tales esse Principes, ad gubernacula in Imperio sedentes, quorum virtutes in tãtis fastigijs conspicuæ, ab omnibus animi corporisq. ærumnis & vitiorum tenebris admirabili exẽplorũ luce subditos vindicare queant. Quod & misericors Deus facturus est, dũmodo nos subditi peccatis nostris, bonorum operũ meritorumq; principalium viã non obstruamus.

Genalogia Palatina.

Quia Bauaricã stirpem vidimus, Palatina quoq; adiungenda est, quæ sic se habet breuissimè, præmissa tamen familiarum enumeratione, in quibus historiæ referunt, & Aureæ Bullæ Interpretes Electoratum & Archidapiferiæ officium substitisse. 1. Francica Lotharingica Mosellana, ex quo duo. 2. Cattorum seu Francicorum, ex qua vnus Cuno, seu Conradus. 3. Sueuica, ex qua Conradus Dux Sueuiæ. 4. Guelphica ex qua Henricus Sãctus. 5. VVittelsbacchica Bauarica, ex qua nouendecim.

Fridericus V. Friderici filius, III. Nepos, Comes Palatinus Rheni, Princeps Elector, vtriusque Bauariæ Dux &c. S.R.I. interregni tempore ad tractum Rheni, per Sup. & Inf. Germaniam Vicarius, cũ Bauariæ Ducibus planè easdem origines, maiorumq; Imagines exhibet, vsq; ad Rudolphum I. & Ludoicum Bauarum Augustum fratres, Ludouici Seueri filios, quorum hic progenitor est hodiernorum Bauarię Ducum quoad lineam paternam, qui ad vtramque Danubij oram Sudinos, hoc est Boios meridionales, Inferiores, Superiores, Vindelicos item & Noricos administrant. Ille vero auctor omnium Principum: qui ad Rheni ambas ripas, & in Germania in finibus Celtarum Belgarumque, inter Heluetiam Mosellamque Nariscis siue Boijs Aquilonaribus imperant, & longe lateque dominantur.

Maiores Rudolphi I. & Ludoici Bauari IV. Cæsaris vdem.

Rudolphus I. Ludouici II. Seueri Electoris Bauariæ Ducis filius. Cæsa-

ris

ris Ludoici IV. frater, Elector Palatinus Rheni, Baioariæ Dux, &c. Mechtildem Adolphi Nassouij Cæsaris filiam duxit, ideoq; Soceri partibus deuotus cum eodem in campis Vangionum aduersus Albertum I. Austriacum infeliciter pugnauit. Trucidato in acie Socero, cum paucis inglorius, incolumis tamen, VVormatiam profugit. A matre Alberti I. Sorore, rursum Cæsari reconciliatus, cõiuratorum edicto subscripsit, à quo obsessus, raptas vrbes, ingenti pecuniæ vi redimere coactus fuit. Fratri Ludoico germano, quinque suffragijs Electorum in Cæsarem rite electo, cum Coloniensi Electore aduersatus fuit, ideoque ab eodem in ordinem redactus exul in Angliam profugit, ibidemque ducta Regis, vt dicitur, filia egenus ac desolatus diem clausit extremum Anno Christi 1319. Excepit *Rudolph. duxit Adolphi Cæsaris filiã.* *Rudolph. I misere obijt.*

Adolphus cognomento Simplex, non diu in Septẽuirali dignitate subsistens, quod priuatæ vitæ, & solitudinis amantior esset, quam Reip. gubernandæ, illam Anno Christi 1327. in fratrem Rodulphum II. resignauit, quo & ex humanis abijt iuxta Freheri computum. *Adolphus Simplex solitarius.*

Rudolphus II. in ipso limine Electoratus decessit, elegit tamen Carolũ IV. Cæsarem, aureæ Bullæ Conditorem, cui & filia eius Anna vnica, ex Anna Carinthiæ Ducis filia suscepta nupsit, & Romæ coronata est Imperatrix: Obiit ἄπαις seu sine liberis.

Cui Rupertus I. frater successit, dictus Rufus, qui Academiam Heidelbergensem instituit Anno Christi 1346. qui & improles obijt An. C. 1390. *Academ. Heidelb. inchoatur*

Huic Rupertus II. dictus Durus, Adolphi Simplicis filius, qui cũ cæteris Baioariæ ducibus VVenceslaum ignauum Caroli IV. filium oppugnauit feliciter, & XL grassatores, ferro flammaque eius terras euastantes, victos captosque in laterariam candentem viuos coniecit. Academiam Heildelbergẽsem adeo instaurauit, vt alter eius conditor audiat. Ex Beatrice Frederici Regis Siciliæ filia, natus illi Rupertus III. Mortuus A. C. 1398. *Bauariæ Duces & Rupertus durus VVencesl. oppugnãt.*

Rupertus III. Rex Romanorum & Imperator electus Boppardiæ, An. C. MCCCC. ab Electore Coloniẽsi inunctus Coloniæ, Princeps fuit clemẽs, animo magnus Maiestatis Imperialis assertor, pacis ac iustitiæ laude clarissimus. Basilicam S. Spiritus Heildelbergæ ex fundamentis struxit, in quam etsi Oppenhemii obierit An. C. 1410. XV. Kal. Iunii, illatus fuit cum coniuge Elisabetha, quæ anno XI. maritum secuta est. *Rupert. III Cæsar.*

Successit filius Ludoicus III. Barbatus, cognomẽto Pius, Princeps bello & pace inclytus, & Concilii generalis Constantiensis An. C. 1415. Præfectus cum Guilielmo III. Duce Bauariæ, Hic latinas litteras senex didicit, quod grauissimè Sigismũdum Cæsarem in Principum Imperii barbariem inuehi audiuisset, Cæcus etiã præ senio vocatus, decessit A. C. 1436. reliquit ex secũda vxore Mechtilde Sabaudiæ Principis filia tres filios, ex priore Blanca Angliæ Regis filia, nullam prolem. *Lud. III. senex litteras didicit.*

Frideri. I. cœlebs & excellens Elector. Ludoicum IV. Virtuosum & mitem dictum. Septemuirum & Archidapiferum ex Margareta Sabauda Ludoici Andegauensis Regis Siciliæ vidua sustulit Philippum, mortuum Anno Christi 1449. iuxta Freheri calculum. Fridericum I. Victorem felicibus bellis, robusquebene gestis inclytum. Hic tres Principes ante Heidelbergam fudit, & cæpit: & quidem primo tutorem egit Philippi nepotis & administratorem Palatinatus, mox adoptato Philippo elector factus ad Annũ Christi 1476. vixit, sepultus Heidelbergę ad Prædicatores. Tertius fuit filius Rupertus Archiepiscopus Coloniensis; à quo Carolus Audax in diœcesin, euocatus ingentibus cladibus illam affecit obsesso Nouesio; sed frustra. Bonnæ exul sepelitur Anno Christi 1479. in Basilica Cassii & Florentij.

Philippus Ludoici V. Iunioris filius, Ingenuus vocatus, ex Margareta Ludouici Diuitis Bauariæ Ducis filia 12. liberos procreauit. Ludoicum VI. Fridericum II. Rupertum &c. Mortuus Anno Christi 1508. Sepultus cum coniuge ad S. Spiritum.

1. Mutatio religionis in Palatinatu. Secutus Ludoicus *VI.* Pacificus, filius, ex Sibylla seu Sidonia Alberti IV. Baioariæ Ducis filia nullam prolem sustulit. Mortuus Anno Christi 1545. Orthodoxè. Mox frater Fridericus *II.* excepit; qui primus Religionem Romano Catholicam Lutherismo vel potius Augustana confessione permutauit: verum in totum perficere propositum victoria Caroli V. & bello Schmalcaldico impeditus, non potuit. Viennam, quam Solymannus ducentis armatorum millibus obsidebat, ab Imperij Ordinibus supremus Dux belli institutus, liberauit obsidione. Philippo Bellicoso fratris Ruperti filio Palatino, vrbem fortissime defendẽte. *Viennã liberãs Palatini.* Obijt septuagenario maior Anno Christi 1556 nihil liberorum ex Dorothea Christierni *II.* Cimbrorũ Regis & Exulis filia sustulit.

Otto Henricus Elector, Archidapifer & Dux Bauariæ, filius Ruperti, nepos Philippi, natus Anno Christi 1503. Septemuiratum à moribundo patruo sibi designatum excepit, quem vix administrauit triennio. Obijt Anno Christi 1559. *2. Mutatio Relig.* Qui cum Carolo Marchione Badensi, vterque in suis prouincijs veterem religionem Catholicam prorsùs extirparunt, & Confessionem Augustanam inuexerunt. quæ altera fuit in Palatinatu religionis mutatio. In hoc recta linea defecit. sequitur.

Fridericus *III.* Ioannis Comitis Palatini & Principis Simmerensis filius, Dux Baioariæ, Comes Obrincanus, Simmerensis & Spanheimensis, cùm posteritas Ludouici cæci in Ottone Henrico defecisset, qui Electoratum & Regalia adeptus est. Vxor prior Maria, Marchionis Brandẽburgensis Casimiri filia, Ludouicum VII. Ioannem Casimirum Tutorem Friderici *IV.* & alias nouem proles illi procreauit. Vixit annis 48. mortuus Heidelbergæ

gæ Anno Christi 1576. Sepultus ad S. Spiritum.

Ludouicus *VII.* Secutus est eius filius, qui Ecclesias Lutheranas in Palatinatu disposuit. Academiam Heildelbergensem nouis redditibus, ex Ecclesiasticis beneficijs conflatis insigniter ditauit, pacem egregiè excoluit. Ex Philippi Hassiæ Lantgrauij filia Elisabetha vndecim liberos suscepit. Mortuus Heidelbergæ Anno Christi 1583. Sepultus ad S. Spiritum. *3. Ex redditib. Ecclesiast. Academia Heidelb. ditatur.*

Fridericus IV. eius filius excepit Elector, Comes Palatinus Rheni, vtriusque Bauariæ Dux &c. natus Anno Christi 1574. 4. Martij. Cui minorenni vsque ad annum XVIII. ætatis, nouem annorum spatio datus est Curator Ioannes Casimirus Comes Palatinus Rheni, qui Caluinismo infectus, eundem pulso Lutherismo, per totum Palatinatum propagauit, à quo in hoc vsque momentum temporis perseuerat, constantia plus quam leporina in damnatis fidei articulis sibi constans. Ille vero cum Anno Christi 1592. exuuias carnis deponeret Fridericus IV plenâ gubernationem maiorennis iniuit, atque à D. Rudolpho II. An. Christi 1594. in Comitijs Ratisponẽsibus inuestituram Principatuum accepit. Anno Christi 1593. Dillembergæ Nassouiorum, die 12. Iunij stylo veteri, nuptias celebrauit cum Ludouica Iuliana, Guilielmi Auraici Principis, & fœderatarum Prouinciarũ Belli gubernatoris filia, sorore Mauritij Comitis, quam Philippus Marnixius Aldegundius eò adduxerat, ex qua præter alios Fridericum V. suscepit, Princeps Clemens & Pacificus, sedatæque indolis, dummodo vini abstinentior fuisset, quem Reuerendiss. D. Adolphus VVolff dictus Metternich, Decanus Spirensis Ecclesiæ cathedralis, laudatissimus à candidi animi notis insigniter de prædicare solebat, cuius viri consortio Princeps ille identidẽ vtebatur, ac Patrem suum, præ morum, ætatis, consiliorũ grauitate vocabat. Obiit Anno Christi 1608. Heidelbergæ sepultus ad S. Spiritum. *Ioã. Casimirus tutor Friderici IV.* *3. Mutatio in Caluinismũ.* *Nuptiæ cũ Iuliana Auraici filia.*

Fridericus V. eius filius. Septemuir natus, Anno Christi 1595. 16. Augusti stylo veteri, Ambergæ, cuius indoles, res gestæ, adeo orbi Christiano inclaruerunt, vt calamo meo non indigeant, exemplo enim suo ostendit, quam perniciosum & abominabile coram Domino sit cõsilia olidorũ Prædicãtium, & seditiosorum Ministrorum sequi, præsertim quando Diuinæ Prouidentiæ, & oraculorum Domini præsumptuosos agunt, interpretes & Principum exterminatores. O opprobrium. Nunc autem antiquitatis, & rerum dignitatumque Imperaliũ studioso adijciam, vnde is vicariatus Imperij, & quinam Electoribus Vicarij interregni tempore, suo Cæsare extra Germaniam agente, sint & habeantur, clarissime intelligi queat, & ne ex mea pharetra temere aliquid dicam, aut immediate effundam, V. C. Chrystophori Geuoldi discursum eruditissimũ apponam, qui sic de S. R. I. septemuiratu libro cap. 11. discurrit, fol. 194. *Frideric. V. Palat.*

1. Ad Imperij vicariatum quod attinet, vt paucis me expediam, sciendum: Officium istud, seu munus, respectu diuersorum temporũ, diuersimodè se habere. Ab antiquo enim, Imperatores & Reges Romani, cum ipsi per se negotijs regni & Imperij sufficere non possent, vel certas in aulis suis personas constituebant, qui vice illorum cognitioni causarum praeessent: & horum quidem munus, cum persona quae eidem praeficiebatur, expirabat: vel ad tempus certum, absente nimirum Rege, Imperatore extra prouinciam, vicarij isti pro arbitrio constituentis dabantur: vel denique prouincijs singulis singuli praestituebantur vicarij. Res exemplis declarata planior fiet, & intellectu facilior.

Vnde Vicarij Imperij.

3. Primi generis vicarij fuerunt, Aulae Magistri, Comites Palatij siue Aulae regiae Palatini, Praefecti etiam praetorio dicti: qui singuli à Rege vel Imperatore, dignitate & officio proximi, munus iudicandi obibant, & de causis, negocijs, litibus subinde exorientibus cognoscebant, easque definiebant. *Hinc comitum, & officium primo sic dictorum, quod Prouinciales magistratus, tanquam negotiorum publicorum adiutores comitarentur, sequerenturue; & pro officio suo causas cognoscerent, postulationes audirent, libellos supplices legerent, & his responderent: Circa edicta & epistolas scribendas ac decreta interpretanda versarẽtur.*

I. Generis Vicarij.

Et comitum quidem proprium fuit officium ius dicere, seu administrare iustitiam. Quod adeò moribus obtinuit, vt Germanorum quoq; Grauen/ comites, iudices dicti habitiq; sint, Pfaltzgrauen/ Palatij seu aulae comites, iudices aulae: & palatium Pfaltz/ Curia, seu locus, vbi ius dicitur, & iustitia administratur. Qua ratione Bauariae ducibus, tãquam inter caeteros Electores, certo quodã respectu, (minime vero propter comitiuã Rheni) Palatinis comitibus, seu Palatio pretorioue praefectis, hoc munus incubuisse alibi fuit ostensum. Huc referri debet, & hoc sensu accipiendum est, quod vetustus auctor *Conradus de Fabaria* Presbyter S. Ottmari ante annos circiter quadringentos scripsit: *Ducem Noricorum in curia* (Henrici Regis VII.) *mansisse, cuius consilio res imperij, per id temporis disponebantur.* Et *Vrspergen,* An. Dom. M.CC. XXV. *Ludevvicus Dux Bauariorum, curator regis Henrici, in rebus tam propriis, quã imperialibus in Alemannia efficitur.* Hoc consilio, & hac ipsa causa quã proximè supra attigimus, impellente, laudatissimae memoriae Rex Roman. Maximilianus I. An. M.CCCC.XCV. in partem & iurisdictionis, & Reipub. procurandae IudiciumCameraeRegium instituit: quod Caes. Maiest. vices gereret: illudq; ipsum summũ Imperij Tribunal An. M.D.LV. August. Caes. Carolo V. & imperij statibus in idipsum conuenientibus Sacr. Caes. Maiest. & imperij Camera imperialis, iudiciumq; factum: *quod deinceps siue viuo Caesare, siue defuncto, seu in imperio eo constituto, siue absente, in iuris dicẽdi munere tantum pollet potest q, quantum Praefectus praetorio, quantum electores Interreges, quantum Rex Roma-*

Comitũ officium quod. Lib. de Casib. 5. Galli in Alem c. 14.

Petr. Denais. IC.

manorum ; quantum Cæsar: adeò vt vel absente etiam Cæsare extra imperii limites, vel fatis functo , summi huius tribunalis cursus & iurisdictio non interrumpatur, neque suspendatur, aut ab alio aliquo superiore dependeat: nec aliquis vicarius Cæsaris aut imperii in hac ipsa Camera imperiali ius & potestatem sibi arrogare debet: cum vicaria ista prouisio non nisi vacante ordinaria iurisdictione, (quod in hac causa dici nullatenus potest, cum defuncto quamuis Cæsare, camera imperialis, quæ non tam Cæsaris, quam totius imperij, omniumq; statuum camera est, & iudicium commune ordinarium, adeoque vniuersale, defuncta non sit neque censeatur, sed viua permanet & integra) aut in locis, ac iudicijs Cæsaris particularibus, vbi fatis concedente Imperatore, iurisdictionis quoque vacantia seu defectus datur, queadmodum in Rotvvilensi iudicio & alijs simibus olim contingebat, ac hodieque contingere potest, locum obtineat : sicuti etiam certo constat superioribus annis defuncto Cæsare vicariatum per Auream Bullam ad Cameram imperialem per Electorem Ludouicum Palatinum non fuisse extensum. Verum de his commodius fusiusque alio dicetur loco.

in assert. Iurisdict. Imp Tom. 1 p. 45,

Secundi generis vicarij in historiis passim occurrunt. Otho magnus, siue I. Imp. in Italiam proficiscens, vicariũ ordinauit, sibiq; substituit absenti Hermannum Brunsuicensem. Imp. Fridericus I. Filios suos regem Henricum, & Philippum Sueuiæ Ducem. *Otto (IV.) Rex quo tempore profectus est Romã coronari in imperatorem, imperium supra Mosellam fratri suo Henrico Palat. regendũ dimisit.* Henricus VI I. filium Ioa. Bohemiæ Regẽ, & Berchtoldum Hennẽbergicum Comitem, primum eius familiæ principem. Sigismundus Cæsar Guilielmum Bauariæ Ducem. Ludouicus Bauarus Cæsar, consensu imperij principum, Othonem Austriæ Ducem vicarium imperij constituit Paduæ, & Taruisij: & ab eodem Ludouico Cæs. Edoardus Angliæ Rex generalis vicarius per Germaniam deputatus: Idẽ Rex ab eodẽ cæso Ludouico & ordinibus imperii, vicarius, per Galliam & regnum A relatense constitutus, teste Goldasto.

II. Generis Vicarij. Cæsar Heisterbacens. lib. 1.

Nauc. gener 45. fol. 886. Tom. 3. fol 41.

Tertij generis vicarios Particulares, Comites nempè Palat. Prouinciarũ diuersarum historię suppeditant: Bauariæ inquam, Saxoniæ, Sueuiæ, &c. de quibus hic, non est dicendi locus.

III. Tertij generis Vicarij.

Denique vt ab antiquis istis ad tempora nobis propinquiora veniamus; Carolus IV. Imp. An. M.CCC.LVI. in comitijs Noribergæ habitis, per Aureã Bullam de vicariatu imperii & vicariis, quod quartum genus est, præter tria hactenus commemorata, hunc in modum sanxit. *Quotiens insuper, vt prænittitur, sacrum vacare continget imperiũ, illustris Comes Palat. Rheni, sacri imperii dapifer, ad manus futuri Regis Rom. in partibus Rheni & Sueuia, & in iure Franconico, (in vetustioribus exẽplaribus legitur, in Franconia) ratione principatus seu comitatus Pala-*

IV. generis quoque Vicarij.

Palat. Priuilegio, esset debet prouisor ipsius imperii, cũ potestate iudicia exercendi ead beneficia Ecclesiastica præsentandi, recolligendi redditus & prouentus, & inuestiendi de feudis, iuramenta fidelitatis vice & nomine sacri imperii recipiendi: quæ tamen per Regem Rom. postea electum, suo tempore omnia innouari & de nouo sibi iuramenta ipsa præstari debebunt: feudis principum dũtaxat exceptis, & illis quæ Vanlehen *vulgariter appellantur, quorum inuestituram, & collationem soli Imperatori vel Regi Rom. specialiter reseruamus, ipse tamen Comes Palat. omne genus alienationis seu obligationis rerum Imperialium huius modi prouisionis tempore expresse sibi nouerit interdictum. Et eodem iure prouisionis illustrem Ducem Saxoniæ, Sacri Romani imperii Archimarschalcum frui volumus in illis locis, vbi Saxonica iura seruantur, sub omnibus modis & conditionibus, sicut superius est expressum.*

Aurea Bul. ca. 5.

Origo, officium, & finis hodierni vicariatus.

Hæc est origo hodierni vicariatus; hanc ipsam ob causam potissimum introducti, ne vacante imperio, & per diuturna interregna, sicuti præcedentibus temporibus contigerat, nondum constituto Summo aliquo tribunali & iudicio, ceu vniuersali, ac perpetuo totius Rom. Imperii Senatu, subditi iure & iustitia priuarentur, adeoque cogerentur extra imperium iuris remedia quærere, & ad alium iudicem recursum habere: quæ tamen incommoda per istam prouisionem saluberrimam, introductionem nimium iudicii imperialis penitus fuerunt sublata: & moriente quamuis Cæsare, tribunal tamen istud summum non moritur; sed non secus atque imperium ipsum idem semper manet, viuit, suamque integritatem, authoritatem, ac maiestatem absq; vlla diminutione retinet, & hæc de vicariatu breuiter commemorasse sufficiat: de quo alii fusius alibi, & erit aliàs plura de eo dicendi locus.

Hæc Geuoldus, quæ tam clara sunt legenti, vt Solem æmulentur. Alterumque addendum duxi de ijs, quæ Archidapiferiam seu Electoratum cõtingunt, vt illa radicitus pernoscamus, quæ ad illos Germaniæ Reges, Electores dico, ratione eiuscemodi dignitatis attineant.

De Iure eligendi Regem Romanorũ domus Palatina, & Bauarica.

Dixi paucis in Genealogia Bauarica de pactis mutuis inter vtriusque, videlicet Rudolphi Palat. & Ludoici IV. Cæsaris Bauari Cæsaris filios, quæ super Electoratu alternatim in Electione Regis Romanor. exercendo, erexerunt, nunc quam breuissimè rationes adijciam, quibus domus Bauarica nititur, demonstratque nequaquam familiæ Palatinæ, quà Palatinæ, sed quà Bauarica est, antiquitus ius eligendi Regis Romanorum competere, quæ eiuscemodi profecto sunt (ne quoque quidquam temere loquar) vt etiam hostes Bauarici iuris, dummodo ratiocinari & natura, & arte didicerint, in suam sententiam reluctantes pertrahere queant, adeò antiquitate, Maiestate, veritate irrefragabiliter solidantur. Vnde contra Freherum & alios coiunci vult Geuoldus, Electoratus siue Archidapiferiæ officium ad Bauariæ

uariæ Duces, & ad Electores Palatinos, quà Bauari sunt pertinere, & olim ab aliquot annorum centurijs, quam Aurea Bulla conderetur, pertinuisse, ab illo nimirum tempore, quo eminentissimus ille ordo in Germaniam introductus est.

Certum est namque illud tritum. Palatinus eligit, quia dapifer est. Dapifer autem fuit Bauarus. Vti de Ottone III. narratur apud Ditmarum, in Quodlingeburg Pascha celebrante, quod Henricus Dux Bauariæ cum cæteris Principibus ad mensam ministrarit, & Fabricius, orig. Sax. lib. 2. fol. 13. ex priore refert disertis verbis. Henricus Bauarus *Dapiferi*, Conradus Francus *Camerarij*, Hezilo Palatinus *Pincernæ*, Bernardus Saxo *Stabularij*, munere functus est. Quæ officia cum variarent, Otto III. effecit, vt adamantino nexu familijs certis Principum iungerentur. Secundo, quod penes Bauariæ Duces respectu officij Dapiferiæ fuerit, Regalium seu insignium imperij custodia (quæ sunt Crux, Lancea regalis clauis Dominici corporis insignita, sceptrum, globus & corona) vti globum in Coronatione Guilhelmi Cæsaris præbuit Ludoicus Bauariæ Dux. Tertio, Quod feudũ Bauarus à Bãbergensi Episcopo accipiat, velut Elector, cum tribus alijs Principibus, videlicet, Bohemiæ Rege, Saxone & Brandenburgensi Electoribus, vt probatur ex litteris inuestituræ erectis à Bertoldo Bamb. Antistite Anno Christi 1269. 13. Kal. Iulij, à quo Ludoicus 3. fuit inuestitus quartus ab Ottone Magno VVittelsbachio. Quarto, Orta lite post Cæsaris Rudolphi I. Electioné inter Ottocarũ Bohemiæ Regẽ & Bauariæ Duces Ludoicum & Henricum fratres, motaque Duci Henrico quæstione super quasi possessione iuris eligendi Regem Romanorum, coram Cæsare & Imperij Principibus in curia seu comitijs publicis Augustæ celebratis, Cæsar Rudolphus & Principes, auditis partibus, & cognitis earum iuribus, declararunt & publicis litteris testati sunt, Ducibus Bauariæ ius eligendi Romanorum Regẽ, ratione Ducatus Bauariæ competere ex antiquo, sicut ex ipso diplomate colligitur manifestè à Rudolpho I. A.C. 1275. Regni anno 2. dato, in quo dicitur, ius eligẽdi Regẽ cõpetere, *ratione Ducatus, Bauariæ ab antiquo:* Quinto, Idẽ ius multis Ducibus in regimine cõstitutis, eiusdẽ tamen stirpis in hærere, ostenditur quoque ex litteris Procuratorum Marchionis Brandenburgensis, cum lites super multitudine Ducum motæ fuissent, quos inter ita decretum, vt pro vna voce seu suffragio efficaciter in Electione subsisterẽt voces omniũ. Datæ autẽ sunt Boppardiæ A.C. 1308. feria VI. ante Simonis & Iudæ. Sexto, Clemẽs V. ad Rudolph. Palatinũ litteras dedit parænecticas, exhortans illum seriò ac sollicitè Regis noui Electioni attendere, velut Ducem Bauariæ, nõ vero vt Comitẽ Palatinũ. Septimo, filij Ludoici IV. Cæsaris, & Rudolphi Palatini fratrum, ex voluntate Cæsaris inter se

Lib. 4. fol. 16.

Insigniũ Imperij custodia penes Bauaros.

milli Hussitarũ cæsa sunt Anno. 1421. ideoque à Sigismũdo Septemuir Imperij, & Elector Saxonicus & Archimarescallus Alberto Anhaltino improle moriente Budæ in Hungaria anno 1425. in virtutum laborumque exhaustorum præmium est constitutus, atque adeo auitum Saxoniæ Ducum titulum, ac Septemuiralem dignitatum, ad non agnatas familias per successores Ottonum translatum familiæ suæ postliminio acquisiuit. Pacis & belli artib9 Princeps multo clarissimus. Obijt anno. 1428 Excepit Frideric9 II. filius, Placidus, memorabilis Alberti II. Cæsaris aduersus Bohemos rebellesque propugnator, & defensor, obijt Lipsiæ anno 1464. postquam ex Cæsaris Friderici III. alias IV. Austriaci Germana sorore inter alios liberos Ernestum Electorem, & Albertum animosum, de quo postea anno 1441. sustulisset, bellatorem strenuũ & trium Regum Vratislauiæ Pacificatorem sagacissimum Casimiri Poloni, Ladislai Bohemi, & Matthiæ Hungari cum Ioanne Marchione Brandenburgico, qui infestis armis sese impetebant, mortuum anno 1486. Suscepit is ex Elisabetha Bauara Alberti III. Bauariæ Ducis filia, præter alias proles duos filios Electores, Fridericum III. improlem, & Ioannem: item duos Archiepiscopos, Albertum Moguntinum biennio tantum præsidentem, & Ioannem Archiep. Magdeburgensem, & Halberstadensem, cuius opera in Academia VVittembergensi instituenda vsus fuerat. Fridericus certe Maximiliano primo prudentiam suam in constituendo cameræ iudicio accuratè probauit, & oblatum quoque à quibusdam Principibus Francofurti Romanum Imperium singulari modestiæ testimonio recusauit, vt quidam narrant, & Carolum sibi præstituit. Lutherum turbas in religione & nouitates inauditas meditantem, non adeo promouit, neque repressit, cælebs extinguitur Anno Christi 1525. Ioannes Friderici frater succedens Lutheranismum passim per Saxoniam propagauit, & Anno Christi 1530. Confessionem Protestantium in Comitiis Augustanis exhibuit, & quia duriorem sese in Cæsarem gessit, insignia Principatus & Regalia impetrare ab eodem non potuit, obijt Anno Christi M.D.XXXII. in arce Shvveinitz, VVittembergæ sepultus, Electoratus sui anno septimo, vixit annos 53. Genitus est filius eius Ioannes Fridericus I. Septemuir, natus anno 1503. qui mordicus religioni à Patre propagatæ defensæque institit, ducta in matrimonium Sibylla, Guilhelmi Iuliæ, Cliuiæ, Montium Ducis sorore germana, ex cuius erectis pactis dotalibus Anno Christi 1526. 8. Augusti, ius ad Ducatus illos Saxoniæ Electori Ducibusque quæsitum est. Quanquam non solum inde hoc habeant, sed grauissimis aliis fundamentis nitantur, vti in Saxonica deductione alias edita, videre est. Potissimum est, Albertum Animosum insigni deuotione Friderico IV. & Maximiliano I. difficillimis temporibus aduersus rebelles, & hostes Austriaci

Fridericus II Placidus Elector.

Ernestus Elector.

Fridericus III. Elector.

Instituit Cameræ Iudicium.

Ioannes frater Elector Lutheri doctrinam inuexit.

Ioannes Fridericus.

Vnde Ducibus Saxoniæ ius ad Ducatus Iuliæ Cliuiæ Montium &c.

Nominis fidelem operâ præstitisse, & grauissima bella pro salute imperij & incolumitate suscepisse, & feliciter gessisse, aduersus Carolum audacem, rebelles Vngaros & Frisios, &c. quos in ordinê & ad obedientiam Cæsaris reuocauit, vti leges inferius. Viuo Patre Ioanne ad comitia Francofurtum missus, vbi de Ferdinando I. Caroli V. Cæsaris, fratre in Regem Romanorum eligendo agebatur, sese coelectoribus opposuit, vt pote qui Hispanus non Germanus esset: à morte tamen parentis consensit Principum Electorum suffragationi, Religionem Lutheri adeo propugnauit, vt sumptis armis in Cæsarem ferretur cum confœderatis Principibus & Republ. à quo memorabili victoria superatus, ad Muibergam an. 1547. in Aprili. die 22. Albano Duci traditur, mansitque in custodia ad annum, 1552. Non indigne ferens Electoratum à se suaque linea, in Mauritium sobrinum transferri. Obijt Vimariæ anno 1554. 3. die Martii. Filius eius Ioannes Fridericus II. Dux Saxoniæ, non autem elector natus, anno 1529. 6. Ianuarii. Ienæ Academiam aperuit obtentis priuilegiis Cæsareis. Guilielmum à Grumbach & socios ob interfectum Melchiorem à Zobel Herbipolensem Antistitem ab Imperio proscriptos in arcem suam Grimmenstein recepit, ac defendit. Quare hostis renunciatus ab Augusto Saxoniæ Electore, & Decreti Cæsarei executore obsessus Gothæ est, eaque subacta captiuus ad Maximilianum II. Cæsarem anno 1567. supplicio de latronibus sumpto deducitur, in carcere animam ponens. Huius frater Ioannes Guilielmus adfuit Augusto fratrem Gothæ obsidenti. Cond... eum iuuit in Galliis, obiit anno 1573. cuius filius Fridericus Guilielmus Tutor fuit Christiani I. ab Augusto Electore institutus.

Victus à Carolo Anno Christi 1547.

Ienensis Academia à Ioan Friderico filio captiui erigitur.

Fidelis Cæsari Ioan. Guilielmus cum Augusto.

Porrò Electoratus alienatus ab Ioanne Friderico anno 1547. ad Mauritium Saxoniæ ducem est transportatus per Carolum V. Cæsarem, Augustæ Vindelicorum anno 1548. die. 24 Februarij inter secundam & tertiam Pomeridianam. Cuius Genealogia paulo altius repetita, huius, Illustrißimi Electoris Ioannis Georgij lineam clarißimè exhibebit.

Electoratus ad Mauritium translatus.

Mauritius Septemuir, Dux Saxoniæ &c. natus anno 1521. 21. Aprilis Friburgi, Patre Henrico Saxoniæ Duce non Electore, nouitiæ religionis cultore, Matre vero Catharina filia Magni Ducis Megapolensis. Auus fuit Albertus animosus, Abauus verò Fridericus II. Placidus Elector: à quo vtraque linea Saxoniæ Ducum tam eorum qui Electoratum vsque in Annũ Christi. MDXLVII. gessere, quo Ioannes Fridericus captiuus eo se abdicauit, & ob rebellionem quoque à Cæsare fuit destitutus, quam eorum, qui hoc nostro æuo diuina Prouidentia ita disponente, laudatißime ad nominis & famæ suæ immortalitatem, Electoratum ab Anno Christi 1548. & die 24. Februarij in hodiernum vsque diem sustinent.

Mauritius filiam vnicã Auriacia Principi locat. Vnde Maur. Comites.

Habuit Fridericus II. de quo supra, duos filios, Ernestum Electorem de quo

quo etiam supra, & Albertum Animosum, ex Friderici IV. Cæsaris germana sorore susceptos. Albertus natus anno Christi. 1443. Grymmæ ad Muldam, & vndecennis raptus ex arce Aldenburgica cum fratre Ernesto à Kauffungo Saxonico equite mirabiliter liberatus fuit per Carbonarium. Animosus dictus fuit ab inuicti animi robore, & rerum quas pro Germaniæ, Imperij, ac Austriacæ domus salute, atque incolumitate gessit magnitudine. A Romano Pontifice DEXTERA MANVS IMPERII, ab exercitibus Belgarũ ROLANDVS dict⁹. Princeps manu & armis própt⁹, nomine & aspectu Vngaris, Gallis, Belgis, Frisijs terribilis, sagacitate & in consilijs expedita celeritate admirabilis; fortitudine ac vehementia in ipso prȩliorum feruore intolerabilis; moderatione post victoriam & clementia hostium etiam testimonio salutaris. Gallos Belgio expulit, ipsumque Belgium sub Carolo Audace, Maximiliano Philippi I. filio, difficillimis ciuilibus bellis diuulsum explicuit, pacauitque, Matthiam Regem Hungariæ in Austriam illatum hostiliter fregit, & in pacis cõditiones adegit. Infrenem Frisiam rebellemque ad obedientiam Imperij reuocauit. Oblatum Bohemiæ regnum respuit constantissimè. Imperij inclinati, & bellicæ gloriæ deperditæ Restitutor illustris. Obiit ad Embdam in altera contra Phrisios rebelles expeditione Anno Christi 1500. ætatis suæ 57. Cadauer Misnam Sepulchro maiorum delatum illatumque. Ex vxore Zedena Georgii Regis Bohemiæ filia suscepti, Georgius, & Henricus, & alii. Ab huius Alberti morte, ius suum successores in Ducatus Iuliæ, Cliuiæ, Montium prosecuti sunt, & gratiis à diuersis Imperatoribus factis tributisque priuilegiis institerunt. Quorum Imperatorum primus fuit Fridericus IV. quod aduersus Carolum Burgundum Audacem, & Hungariæ Regem difficilia bella Sacræ Cæsareæ Maiestatis nomine gessisset Albertus, vti ex diplomate eius patet, dato Anno Christi. 1483. Grȩtii. 26. Iunii. Hanc gratiam à Friderico Patre domui Saxonicæ datam in latissima forma confirmauit Maximil. I. filius, idque ex caussa præteritorum & in futurum præstandorum seruitiorum. Anno Christi. 1486. 8. Octobr. Altera confirmatio eiusdem gratiȩ, ab eodem facta est Vormatiæ. Anno Christi. 1495. 3. Ioanni Duci Cliuiæ, ducta vnica filia Guilielmi vltimi Ducis Iuliæ Maria, possessionem ducatuum Iuliæ & Montium adeunti restitit domus Saxonica; tum quod suum iustum titulum nosset Dux Ioannes, tum quod in feudis Imperii maioribus, nec possent nec deberent fæminæ succedere, ideoque mortuo Guilielmo Duce, realem possessionem Ducatuum petiuit in Comitiis Augustianis, cum in proxima Comitia differretur caussa; pro eadem in litteris. Anno Christi. 1512. Neostadii Austriæ 12. Febr. datis, Cæsar Maximilianus I. pronunciauit. Et licet Carolus V. Ioannem Ducem inuestiuerit, id tan-

Albertus Animosus.

Præclara eius facinora & merita de domo Austriaca.

tum pro iure illo quod habebat Ioannes, fecit, citra præiudicium Saxonicæ domus, paratus idem domui Saxonicæ pro iure suo facere, & pares literas infeudationis communicare. 4. Accedunt superioribus Caroli V Ferdinandi I. Maximiliani II. Rudolphi II. Imperatorum diplomata, quibus ius Saxonicum firmauerunt, hæc breuiter, vide deductionem.

Georgius ultimus dux Saxoniæ Catholicus. Georgius, orthodoxus Princeps, natus, Anno Christi. 1471. 22. Augusti, Gubernator Frisiæ à Maximiliano I. Cæsare est Patri suffectus, admodum iuuenis in rebelles Frisios feliciter mouit: tumultum Rusticorum An. C. 1525. fortissime compressit, ditiones suas magna cum Iustitiæ, clementiæ, & magnanimitatis laude rexit in annum XL. Tandem ætate, curis, senio, & incredibili ob mutationem Religionis in Saxonia mœrore confectus, obiit Dresdæ Anno Christi. 1539 ætatis LXVII. annorũ, & mensium septem. Ex Barbara Casimiri Poloniæ Regis filia, decem libero, sustulit, ante Patrẽ omnes naturę concedentes. Scribunt plerique eum fratrem suum Henricũ exuere hęreditate voluisse, ac successionis iure priuare, quod Lutheri dogma sectaretur; verum morte pręuentus exequi propositum non potuit. Cuius hoc memorabile apophteghma fertur, de Lutheranis sui temporis, quidnam crederent, rogatus: respondit, *quid hodie credant, scio, quid vero cras credituri sint, ignoro*, notans & animorum & articulorum fidei inconstantiam.

Rusticos Anno 25. cædit.

Pater 10 liberorum.

Gubernator Frisiæ. Henricus frater, Dux Saxonicę, Marchio Misnię &c. natus, Anno Christi. 1573. Frisiorum à Patre debellatorum Gubernator quoque relictus est, tumultu Rustico insignia bellicę, glorię decora retulit; Gallœciam & Palęstinam religionis causa adiit, lustrauitque. Lutheri dogma amplexus pacis tempore in Wolckenstein & Fribergh sedem fixit, illudque per Saxoniam aduersante & omnibus viribus contranitente, orthodoxo Principe Georgio fratre protulit quo morte absumpto anno 1539. 17. Aprilis, de Lutheri & complicum eius consilio, catholicam religionem, inducto Lutheranismo ex omnibus Ecclesiis proscripsit, expulitque, tanta mutatione, in tota Misnia, vt cum Lipsię in festo Paschatis docuissent Catholici veterem fidem, in festo Pentecostes in suggestis starent ac docerent Lutherus eiusque discipuli sectam suam, obiit Anno Christi. MDXLI. in Augusto Torgę, sepultus Friburg, i relictis Mauritio & Augusto filiis.

Iuit ad Sepulchrum Domini.

Lutheri doctrinã inuexit.

Subita religionis mutatio.

Mauritius filius Henrici. Mauritius auitę glorię, non fidei orthodoxę, ęmulus res maximas gessit, à Patre Religione Lutherana imbutus, fideliter Carolo V. in Galliis contra Franciscum I. militauit, capto Landrefio, ad S. Victorinum claram de hoste reportauit victoriam. Bello Germanico pro Carolo animosus stetit, Anno Christi. 1548. Electoratum adiit, Magdeburgum obsedit, Cęsari bellum, vt captiuum socerum Hassum & Sobrinum eriperet, fecit. Solyman-

lymanno in Hungaria cum exercitu suo obuiauit, & retrocedere coegit. Albertum Brandenburgicum ad vicum Siffridhusiuum prope Luneburgum incendiarium prælio vicit, in quo tamen ipse ex ictu sclopeti ad ilia vulneratus fuit lethaliter, & triduo post exspirauit, natus annos 32. & tres menses, Anno Christi. 1553. Ex vxore Agnete filia Philippi Comitis prouincialis Hassiæ, suscepit, duos liberos, Albertum infantem quatuor mensium spatio viuentem, & Annam Guilielmo Auraico Principi confœderatarum Prouinciarum Belgij Gubernatori, ex qua Comes Mauritius Nassouius rebus bellicis apud eosdem cũ summa potestate præfectus. Successit illi mascula prole destituto

Regalis Solymanni. Acie vicit Albertum Incẽdiariũ. Brandenb. Pater Matris Mauritij Nassouij Belli præfecti apud Ordines

Augustus frater, natus Anno Christi. 1526. ad diem 20. Iulij, adolescens militauit Carolo V. in Gallia contra Franciscum, quando is ad D. Victorinum memorabilem de eo reportasset victoriam, & fratris quoque castra in Germania secutus, post cuius fata Imperij feuda successione & Imperatoria auctoritate excepit, quæ ei post annos 13. solemni ceræmonia sũt confirmata à D. Maximiliano II. Cæsare Augusto, Augustæ Vindelicorum in Imperiali conuentu in Maio. Bellum Gothanum aduersus proscriptos ab Imperio feliciter confecit, Oculus Imperij vocari solitus, ex Anna Danorum Regis Christiani tertij filia, & alijs duabus coniugibus, præter alios sustulit Christianum I. Electorem.

Augustus successit auus moderni Electoris in feuda Imperij.

Christianus I. natus anno 1560. 3. Non. Nouemb. Princeps omnibus animi & corporis fortunæque bonis ornatissimus, pacis ante omnia studiosissimus. Naturæ concessit Anno Christi 1591. ætatis 31. nondum completo, huic Ioann. Casimirus Administrator Palatinus Caluinianos Præceptores & concionatores misit Anno Christi 1590. ad quos Christianus, per Crellium informatus inclinabat, verum per Administratorem Fridericũ Guilielmum sunt proscripti, Rabulæ illi & Caluinismus eiectus. Ex Sophia, filia Ioannis Georgii Electoris Brandenburgici, parens factus trium filiorum, Christiani II. Ioannis Georgii, Electorum & Augusti.

Christian I. fere Caluinismum in Saxonia induxisset, agente Ioan. Casim Palatino.

Christianus II. natus est Anno Christi. 1583. IX. Kalend. Octob. & quia minorennis capax honorum non fuit, vsque ad 601. quo interuallo administrator patris testamento institutus fuit Guilielmus Fridericus nepos Ioannis Friderici I. capti à Carolo V. & filius Ioannis Guilielmi, qui frater erat eius Ioannis Friderici II. qui capta Gotha per Augustum Electorem traditus fuit Maximiliano II. Cæsari. Hic Christianus nouennio post Anno Christi MDCI. à Rudolpho II. Imperatore inuestituram Ducatum Iuliæ, Cliuiæ, Montium pro se & Saxonum familia VVitikindæa accepit Pragæ improles extinguitur Anno Christi. 1611. relicta vidua Hedvvige Friderici

Christian. II Minorennis. Tutores eius.

Tradit nepotem Cæsari Maxi. II.

autem magister Venatorum, ipsi cumprimis carus) qui fortuito illi tumultui interueniens in expectata bipenni transfixus,& altera in B. Virginis templo humatus fuit. Auctorem huius fortuiti, homicidij ferè, nemo vsque in hanc horam designare potuit. Nihilominus Ecclesiastici Electores, tres primarios ex aulicis suis consiliarijs secreuerunt, quibus in mandatis datum, vt infortunium hoc diligenter cum circumstantijs inquirerent: nimirum nobiles ac strenuos viros, virtutibus domi militiæq; partis clarissimos: à Rottenstein/ Moguntinæ aulæ Marescallum Moguntinus: von der Reck/ Coloniensis. à Gertzen/ D. in Sinsigh/ Treuerensis. At vero præsidiarij eorumque Chiliarcha, non à suis id commissum, verum ab equitibus Moguntini instabili statione tumultuantibus regerebant. Cæterum apud Senatum grauissimè quæsti sunt commissarij de atroci illa cæde & seditione quasi præsagiente non adeo securam Electorum ibidem fore custodiam, in quorum vilipendium, illam seditionem, non tam titulo tenus captasse viderentur. Non quod Senatum hic notari velim, sed quod eiusmodi suspicioni, isthoc insperato tumultu, intractabili plebeiorum & militum quorundam ingenio, rumoribus, minisque ansam datam esse demunciem, vti fieri solet, vbi furor & odium arma suppeditant. Quibus accedebat quod exauctoratum Chiliarcham Principis Palatini Sacramento adegisset sibi Francofurtensis Senatus,& permultos pedites, ex quibus aliquot capti sunt vt illius malignæ famæ auctores, quasi ad expugnandum Francofurtum numeroso cum exercitu Bohemiæ Rex aduentaret, ideoque graui metu Senatus percelleretur, vti & è contrario timere potuisset Catholici Electores, quod tanta vis militum in Palatina tum Bohemiam, aliasque Imperij Principum prouincias vrbem Francofurtensem vicinosque pagos ac muncipia, præterirent. Deo laus tamen, omnia sopita fuerunt, ac sensim confidentia mutua est restituta.

Vnus equitum occiditur.

Seditio componitur.

Paulo post autem sedato tumultu ad horam septimam vespertinam Hungarorum & Bohemorum Rex Ferdinandus ad vrbem festinauit, & ab vrbico equitatu, ac deputatis Senatus, more solemni exceptus, per Mæni pontem in palatium suum (vulgo Braunnenfels dictum) est deductus regaliter. Habuit vero in Comitatu suo multos Comites, Barones, Nobiles, vt plurimum in rhedis, equitum ferè centum quinquaginta, ex quibus 50. circiter Bandilarij.

Ferdinand. Bohemiæ & Vngariæ Rex Elector Francof. venit.

Feria secunda, quæ fuit Iulij XXIX. Electores Principes omnes, absentiumque Procuratores, ad curiam rhedis vecti sunt, consultandi gratia, idque vsque ad III. Augusti continuauere. Hic autem pro narrationis Ordine paucis adiungam, quæ Legati Bohemici à Statibus Regni missi tractauerint, dabis veniam amice Lector, si paulo pressius illa decurrero. Eodem die Le-

priuilegia, pacta, & Maiestatis litteras, machinaretur, ab obedientia Regis sui, à se reiecti quoque per summam iniuriam, exemissent, & status Patriæ, contra fidem datam, præstitumque iuramentum secum facere compulissent, nisi proditores Patriæ audire vellent, & velut banditi cum fortunarum omnium iactura, ac confiscatione proscribi; sic quoque Principum Electorum animos interuerterent, ne ipsi velut Regi Bohemiæ & Electori, sessionem, vocem, ius suffragij & eligendi facultatem facerent, iam ante data, nec Cæsarem Regemque Romanorum dicerent, aut coronarẽt. In quo tanto conatu, tam protrita fronte laborarunt, vt si penes illos stetisset, regiam coronam & Electoralia ornamenta impudentissime immanissimeque detraxissent, & legitimam Electionem irritassent, cum ad illam legitimè vocatus ex præscripto Bullæ aureæ fuisset, & per tot viarum, & hostilium regionum discrimina Francofurtum adijsset, arcanisque Electorum capitulationibus admissus, legitimus Elector consedisset, votum dedisset, sententiam dixisset. Illi tamen nec oris, nec verticis vncti Maiestatem veriti sæpius audientiam postularunt, quam cum Sacer Electorum Senatus negasset, infandis eorum postulatis offensus, rebellionis suæ patrocinium, apud Turcicum vasallum quæsiuerunt, Transyluanum scilicet, qui in illicitæ causæ subsidium, illicitis & sanguinarijs armis perniciosissime aduolauit, ipsis Viennensibus arcibus & oculis Regis Exterminator insultans. Videntibus autem deputatis ordinum Bohemicorum legatis, se nihil, vrgendo importune posse proficere, re infecta, non sine bilioso stomacho ante Coronationem discesserunt, ita tamen, vt aliquem aculeum in ciuitate relinquerent, quo à fidelitatis iuramento Electoribus & præsertim Regi Bohemiæ præstando aliquantisper arcerentur, & icti seditiosis Bohemorum rumusculis, animo fluctuarent. *Betlen Gabor excitur.*

Electorib. quoque totum suum ius examinandum transcripsit & decidendum, vt ipsi secundum Aureæ Bullæ præscriptum, hæc omnia grauamina Bohemorum definirent, & in scriptis propositas & oblatas Regni Bohemici differentias ab ipsomet Rege, ad iustitiæ Lancem & æquitatis expẽderent.

Porrò Principes Electores petitionibus Bohemorum adeo imperiosis & iniustis auditis, nihil magis pensi habuere, quam Ferdinandum Regem Bohemiæ Principem Electorem, ab adeo immanibus attentatis irrefragabili decreto vnanimiter vindicare. Itaque suffragijs omnium rite pensatis, quæ ad Bullæ aureæ titulos exigebantur, velut ad amussim sic vt palam narratum fuit, statuerunt. Legitime ad diadema Bohemicum Vngaricumque lectum, inuestitum, coronatum, Cæsaris Procerumque consensu omnium ferè, ordinaria collatione, acceptatione, Electorem statutum, Regem *Vt legitimus Elector admittitur Rex Ferdinand.*

propter Bullæ aureæ constitutionem, quam Carolus IV. posuit.

Quarta Augusti omnia fuere pacata, præterquam quod Regia sua Maiestas, & Serenissimus Elector Coloniẽsis concionem in B. Virginis templo fieri, finitaque concione Sacrificium Missæ solemniter per Musicos Ser. tiæ Suę numero triginta decantari iusserint. Vbi illud pietatis in Deũ Cęlitesq; & religionis Ferdinandeæ argumentum attingendum est, quod non modo ab oculatis testibus accepi, sed etiam ex relatu magnatum. Solemne illi esse in dies singulos, bis augustissimo Missæ sacrificio interesse, illudque genu flexus audire. In quorum altero Sanctissimæ Trinitati ac indiuiduæ, suas subditorum, regnorumque ærumnas ac calamitates præsentat, vt pro inexhausta, misericordiæ suæ abysso, ijs eatenus moderari mederiq; dignetur, quatenus sua infallibili sapientia nosset, ad gloriam Nominis sui facere, & suæ suorumque saluti conducere: regulam agendorum immutabilem Dei voluntatem statuens. In altero vero pro fidelibus defunctis ex augustissima parentela, ac domo eius, & præsertim pro religiosissima thori consorte Maria Anna Bauara, liberorũ regiorũ Matre Deum comprecatur, vt sublatis expiatisque pœnis temporarijs, vitæ alterius, cum Mediatore Iesu Christo perpetim cælestium æuum agitaret: iam inde ab lacte & incunabulis edoctus quantum momenti in suffragijs Sanctæ Matris Ecclesiæ ad salutem situ sit. Quibus in diebus Dominicis, & festiuitatibus summu sacrũ adijcit, vt pientissimi Regis partes per omnia inculpatus expleat, & hoc cælesti antidoto aduersus omnes hæreticorum, rebellium, barbarorum insultus eualescat. Ideo & ad exemplum quoque Regij Prophetæ Dauid, singulis noctibus solemne habet, de strato surgere, & Deum inuocare, vt se suosque, regna & prouincias, sibi clementissime collatas, conseruare, ab hæresum, infideliumque sanguinaria rabie defendere dignetur: noctis horrorem in gratiæ cælestis lucem precumque suauitatem conuertens. *Media nocte surgebam, & confitendum nomini tuo Domine.* & alibi. *In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus.*

Regia Ferd. in Deum pietas.

Quinta Augusti, soli consiliarij ad deliberandum conuenerunt, Electorum interea conuentu aliquamdiu suspenso, vsque ad XVII. Augusti. Qui quoque sese inuicem consalutare, consiliari, perinde atque Electores ipsimet, & Nuncii absentium. Quidquid vero in Electorum collegio hactenus actum esset, vti Illustrissimo Electori Saxoniæ, sic & cæteris absentibus Electoribus per certos tabelliones significauere, vt quæ acta fuissent, scirent, & si quid præterea hoc Electionis tẽpore tractandum, ac decernendum iudicarent proponerent.

Feria Tertia, quæ quarta dies erat Augusti, Rex Bohemiæ cum Electore Coloniensi ad illustrissimum Principem Ludouicum Comitem Prouin-

tis, subactisque pacem ac tranquillitatem ordinum Imperij, adamante firmiorem, aspirante Dei misericordia successuram. Se quoad eius fieri poterit, aduersum Bohemorum rebellium attentata, & manifestam rebellionem belli neruum militumque præsidium submissurum, ad LXXX. MM. florenorum datorum initio horum tumultuum, maiores summas adiecturum, tametsi ærarium S. Sedis Apostolicæ crebris largitionibus, & donatiuis pro salute Germaniæ sæpius exinanitum fuerit, cum solus Clemens Octauus in eiusmodi necessitates duos milliones & nonaginta millia florenorum aureorum expenderit, annuosque redditus suos oppignorarit, attamen se quoque iam nunc Sereniss. Regiæ Ma.ti non defuturum, vt grauissimæ vulneratæ Germaniæ quantocius medeatur. Ideo vniuerso Italiæ Clero, decimas fructuum omnium indicturum, quas in belli sacri Germanici subsidia erogari vellet, nominatim vero hoc periculoso bello Bohemico, quamdiu id durauerit, in annos singulos, quingenta millia florenorũ suppeditare velle, quo tãto facilius turbatum Germaniæ statum, tranquillare possit. Prætereà vrgebat quoque R.mus Nuncius vehementer, summa qua posset contentione niteretur, quo animi Principum confœderatorum arctius iungerentur omnibus difficultatibus sepositis, & pristinæ vnioni ac confidentiæ mutuæ redderentur. Et licet iam factus Imperator tam Catholicos quam Augustanos æqualiter, virtute fœderum ac pacificationis, moderetur, nihilominus propter incũbentia discrimina & nunc præsentissima in Imperio (quæ Religionis orthodoxæ excidium minari ac portendere videantur) Catholicos semper studeat sibi habere deuinctissimos, & ad omnes hostium, rebellium, Barbarorum insultus propulsandos domandosque, paratissimos. De cætero Electo Augusto vitam ac victoriam precari medullitus, & Germaniam, Imperium, Ecclesiam impensissime commendare.

Donatiua Sedis Apostolica in Germaniã.

Ad hæc S.a Regia M.tas magna cum animi serenitate respondens gratias immensas S.æ S.ati agit, quod tanta sollicitudine erga se, Germaniam, Imperiumque feratur, & tanta præsidia submissurum spõdeat, quæ sæpius ingẽti, tũ suo, tũ suorũ solatio infallibiliter fuisset expertus, hoc præsertim tempore, quo in exitiũ suum plerique coniurati sese deuouissent, infestisque consilijs, & infestioribus armis, animisque vndique oppugnarent, ac proinde si vnquam auxilia sensisset, nunc ijs cumprimis sibi opus esse. Sperare se Sanctam sedem Apostolicam, virosque Principes tanto promptius succursuros, quanto certius intuerentur mera sanguinaria machinamenta hostium esse, & solum Imperij ordinumque eius ruinam infallibilem habere præfixam. Sequidem reum agi, ac mendaciter ab aduersariis vbiuis terrarum traduci, quasi ipse huic Imperii vastitati caussam dedisset, fomitemque

Ferd. Regis Responsio.

temq; subiecisset, verum iniuriosissimè id sibi appingi, qui omni contentione, quam primum ad illa regia fastigia fuisset euectus, laborasset, quo pacto pacata omnia seruare, & bellorum irreparabiles strages posset auertere, quas extremè odisse, & amasse pacem studiosissimè, edicta publica, protestationes, Epistolæ, litteris consignatæ & typis luculentè demonstrant. Denique vel maximè effecturum, vt orthodoxi Principes & confœderati concordiam cumprimis colant, & hisce perniciosissimis hostium consilijs vnanimi, mentium armorumque coniunctione sese opponant.

Eiusdem ad Oratorem Hispaniarũ. Mox ad Oratorem Catholici Monarchæ conuersus, post mutuos manuum complexus de indubitata fratris sui, & in suis angustijs infallibiliter semper spectata eius assistentia non ambigere. Hoc potissimum tempore, quo Austriaci nominis splendorem Maiestatemque conuellere & eradicare stirpitus æmuli molirẽtur. Multis enim Orator Regis sui animũ declararat, & zelum, quo pro fidei & religionis orthodoxæ conseruatione & propagatione inardesceret, quo Catholici Regis ideam exprimeret, quo fratrem suum, quẽ medullitus adamaret, ab coniuratis hostium sanguinariorum sutelis eriperet, quo Orthodoxum Romanæ Ecclesiæ Principem & Cæsarem, ab hæresum infidis imposturis vindicaret. Quibus expeditis nauim ingressi sunt, transmissoque Mœno, Rex ac Principes legato Apostolico, & Oratori Hispaniarum bene precati Keltersbachium arcem, dein Darmstadium adiere, illi repetito Mœno Hœstum rediere. Ibidem vero cum vsque ad XIV. Augusti Electores hęsisset, Rex & Princeps pomeridiano tẽpore, quartã inter & tertiã reuersi in B. Mariæ Virginis basilica vesperas musicè cantari Ser.mi præcepere, altero die, scilicet assumptæ Virginis solemnitate, Bohemiæ Rex sacratissimum Eucharistiæ, Sacramentum ibidem religiose suscepit.

Ferdinandus Rex & Elect. Colon. Francof. redeunt.

Mogunt. El. celebrat in D. Bartholom. Eodem Festo, Elector Moguntinus in D. Bartholomæi AEde incruentum Missæ sacrificium, numerosa nobilitate præsente, obtulit, modestiore Musica adsonante. Cumque XVI. Aug. Electores ipsi, vti & procuratores absentium, mentem sententiamque Coelectorum per litteras accepissent, quid vlterius tractandum susciperent, salutato in suo palatio Rege Bohemiæ, porro esse continuandum Electionis diem, in consultationem traxerunt. Quapropter & ipso Sabbatho personaliter in curiam, ad consilium, omnes Electores cum Nuncijs accessere.

Ciues Francof. iubẽtur iurare Elect. Decimo octauo die, qui fuit Dominicus, nihil actum est, nisi quod Senatus Francofurtensis per tres tubicines in foris & angulis platearum proclamari iusserit, tam ciues ipsi, quam conscripti Tribuni & Centuriones nomine ciuitatis ante curiam in foro sese sisterent, vt ex præscripto aureæ Bullæ, Septem Electoribus, & Procuratoribus absentium, securitatis iuramentum

mentum ibidem præstarent. Additum quoque ederent nomina eorum, quos apud se domi haberent, eaque ad Cancellariam Senatus referrent. Quod si aliqui deprehenderentur, qui neque Senatui deuoti, neque in Electorum essent obsequio, eodemmet die ante occasum solis inde se proriperent, ni grauiter mulctari vellent, ac pœnis in Bulla definitis plecti.

Feria secunda, qui fuit XIX. Augusti, dispositis in area domus Senatoriæ ciuibus, & stipendiarijs, per ordinem Electores, & coelectorum Procuratores ad Curiam vecti sunt cum Rege Ferdinando, & ibidem in patentissima area Securitatis iuramentum à Senatu primum, dein vero à Tribunis & centurionibus excepere. Mox ascensa Curia, occupatisque fenestris spectauere desuper, quo pacto ciues omnes & singuli idem iuramentum ederent; dein vero vtà quinque quoque peditum vexillis in præfata area curiæ idem præstitum fuerit, præeuntibus Chiliarcha & centurionibus audiuere. *Iuramenti ritus Ciuium & militum.*

Vigesima Augusti ferio de Electione tractatum est, omnesque PP. Electores, & Nuncij in conclaui ad id à Senatu ordinato comparuerunt. Feria IV. & V. idem agitatũ, & Elector Treuerensis ac Moguntinus Ser.mum Bohemiæ Regem, & Electorem Coloniensem inuiserunt, qua die quoque attalica stragula, tapetesque iussu R.mi Moguntini sunt apportata, quibus Electoralis camera seu conclaue cum Choro Basilicæ D. Bartholomæi exornandum esset. Cui negotio eodem die datum est initium. Feria 6. XXIII. Augusti, ad curiam pariter profecti sunt pro continuanda Electione, vti & Sabbatho.

Die Dominico Elector Treuerensis in D. Bartholomæi choro sacrum legit, cuius Musici pro choro, vbi odeum est, artificiosa Musica adsonuerunt. A prandio Principem Electorem Moguntinum Electoris Saxonici Procurator conuenit. *Elect. Treuerens. celebrat ad D. Barthol.*

Die Lunæ XXVI. Augusti S. Regia Ma.tas alijque Electores de more ad domum senatoriam vecti sunt, cumque Rex Ferdinandus aliquamdiu in Senaculo substitisset, vbi omnium Electorum consessus habebatur, in aliud conclaue secessit, ne videlicet suffragia Principum Electorum in suã personam conferenda, coram audiret, quod aliorum Imperij Principum nullum præ illo, vti diuina prouidentia ac meritorum virtutumque magnitudine dignissimo, hoc turbatissimo ob rebellionem Bohemicam rerum statu, nec vellent eligere, nec ferè possent. In quo conclaui cum aliquantisper fuisset moratus, ad prius redijt. Denique conclusis omnibus, & ipsomet Ferdinando designato Cæsare omnium Principum Electorum, & Legatorum suffragijs concordibus, etiam ipsiusmet Principis Palatini Electoris *Eligitur Rex Bohemiæ in Cæsarem.*

 Procu-

Procuratoris calculo domum abiuerunt. Exin eodem die deiectæ sunt officinæ Nundinantium ad D. Bartholomæi Basilicam & immunitatem erectæ, omniaque præparata, præsertim appensione peristromatum attalicorum, & tapetiorum, ac platearum dilatatione, quæ ad regiam proclamationem, cumprimis ampliandam facerent.

Cum Rege Bohem. prandet Mogunt.

Vigesima septima Augusti, nihil actum, nisi quod mane Elector Moguntinus ad Regem Bohemiæ adiens, diu diuersa consilia cum illo tractarit, pranderitque apud eundem. Cætera quoque ad Electionis Maiestatem splēdoremque facientia intra & extra S. Bartholomæi Basilicam disposita sunt, & quod pro choro theatrum erectum, tapetibus est euestitum. Senatus quoque ciues & stipendiarios feria IV. in armis esse iussit.

Solemnis Electionis Ferdinandi II ritus.

Vigesima octaua Augusti, qui dies D. Augustino sacer est, ad Electionem Regis Romanorum, & inaugurationem gradus factus est. Primo namque manè horam circiter matutinam 6. stipendiarij explicatis signis in valla & propugnacula mœnium educti sunt: ciues in certas stationes plateasque distributi, præsertim à Curia Senatoria adusque D. Bartholomæi basilicam, & peracta Electione ac publicatione Regis ab eadem æde, vsque ad palatium Serenissimi Ferdinandi Regis vtrimq; latera stipantes transeuntium subsistere. Quibus dispositis Senatus, campanam (vt vulgo vocant) nundinalem ad spatium dimidiæ horæ pulsari imperat.

In Curia Senatoria, conueniūt.

Post septimam matutinam Principes Electores, Moguntinus, Coloniensis, Treuerensis, & Rex Bohemiæ vti Elector, & absentium legales Nuncii pro curia conuenere, cumque tribus vnius horæ quadrantibus ibidē morarentur, habituque electorali sese in penitiore conclaui amiciuissent, in ordinarium consilij cubile seu senaculum in commune consulturi secedunt. Mox vt octaua insonuit domo ciuica descendentes equis insident, hoc fere ordine D. Bartholomæi Basilicam petentes. Primi in equis sublimes post æneatores, & tympanotribas cōsiliarij, officiales, & ministri, agmen primum tenuerunt; Secuti Electorum quatuor præsentium Mareschalli, enses suorum Principum inauratos capulotenus in vaginis holosericis, auro illusis & incrustatis præferentes. Quos excepere in equis sublimes Principes Electores bini, Reuerendissimi & Illustrissimi Moguntinus & Treuerensis, in amictu coccineo Electorali, intus hermelino vellere per totum suffulto, extus vero eiusdem velleris lacinia poderem ad palmi latitudinem ambiente, cum epomide eiusdem velleris candidissimi, nigris maculis dispuncta virgataque, quæ ceruicem, humeros, ac brachia ad cubitum vsq; cooperiat. Per caput autē inijcitur, nusquam aperturam habens, vti neque ipsam et Electoralis toga, quæ vndique clausa est, & eiusmodi iniectu corpori quoque adaptatur. Manicæ poderi assutæ non sunt, sed in dorso fasciolis

Modus descendi Regis in Basilicā & ordo.

Descriptio amictus Electoralis.

ciolis vtrimque dependulis conneƈtuntur. Largo limbo hermelini velleris quoque ad oras ſuperbiente. Concolores ſunt podere˜, nimirũ coccineę, diſcriminantur tamen in materia, vt Eccleſiaſtici pannum coccineum, vulgo Scharlachum, Seculares vero Electores holoſericum villoſum coccineum habeant. Pileus inſtar coronæ concolor talari togæ, ex holoſerico coccineo, vel panno laneo, villoſum quoque reflexamentum habens, ex murium ponticorum pellibus, apicem eiuſdem materiæ efferens. Ex qua deſcriptione quiuis colligere poterit auguſtum illud Electorum geſtamẽ, ſeptem velut Reges eſſe, facile euincere, ſi quorundam eruditiorum definitioni morem gerimus. Mox Sereniſſimi Ferdinandus Colonienſis Elector & Archiepiſcopus, more maiorũ, ac Ferdinandus Bohemiæ, Vngariæq; Rex vt Elector, pari amicimine decori, præterquam quod auream coronam Bohemiæ Rex in vertice geſtarit, exceperunt. Abſentium coelectorum & comprincipum legales Nuncij ſucceſſere, videlicet, Illuſtriſſimi Pr. Friderici V. Comitis Palatini, Ioannes Albertus Comes Solmenſis Nuncius. Illuſtriſſimi Principis Saxoniæ Ducis Ioannis Georgij Procurator, VVolffgangus Comes Manſfeldicus: & Illuſtriſſimi Principis Ioannis Sigiſmundi Marchionis Brandenburgenſis Dominus Ioannes Hans in Putlitz / trini in habitu nigro & ordinario Nuncium Palatini medium, Saxonis Nuncio à dextris, & Brandenburgenſis à ſiniſtris, cingentibus.

Deſcenſus in Baſilicã. Hoc ordine compoſito à curia Senatoria vſque ad D. Bartholomæi progreſſi baſilicam, ad principales valuas deſcenſionem omnes facientes, templo ſucceſſerunt. Extemplo æneatores, quorum ingens numerus, ſeu tubicines pegmati, eapropter erecto inſiſtentes, tubas inflare, & tympanotribæ concordi ſtrepitu interſonare occeperunt, quoad Principes Electores, cum legalibus abſentium Electorum Nuncijs chorum & conclaue precioſiſſimis ex byſſo auroque elaboratis aulæis conſpicua ingrederentur, ſtationẽque ſua Electores Eccleſiaſtici quidẽ in exedris nigro holoſerico coopertis, Rex vero Bohemiæ in rubricato holoſerico exornato ſedili, ſumerent.

Conſidentibus in choro Electoribus, & abſentium Nuncijs; ad dexterã chori Moguntino, Bohemo, Palatino; in medio chori Treuerenſi, quæ ordinaria ſtatio cantoris eſt: à ſiniſtris vero Colonienſi, Saxone, Brandenburgico, aliquot ex primarijs conſiliarijs, vti & Clerus admiſſi ſunt, & mox per Archimareſcallum à Pappenheim fores chori obſerabantur.

Suffraganeus Mogunt. celebrauit in 3. coronationib. Interim Reuerendiſſimus ſuffraganeus Moguntinus, Stephanus VVeberus, qui trium Imperatorum Electioni & Coronationi interfuit raro exemplo, Sacrificium Miſſæ exquiſita & rara Muſica decoratum de Spiritu ſancto inchoauit, vt ille Principum corda illuſtraret; eorumque ſenſibus lumen ſuæ virtutis infunderet, & ipſius ſuffulti præſidio hominem iuſtum,

& bonum,& vtilem eligere valerent,in Regem Romanorum,vti verba Bullæ sonant. Ibi tum Palatinus,Saxo,Brandenburgicus, in proximum choro Sacellum cum suis secessere,tum quod eorum religioni eiusmodi cultus aduersetur,tū etiā quod nihil politici obsequij Electorat⁹ interea tēporis perficere ex Electorali officio teneantur. Absoluto sacro singuli ad subsellia redierunt. Mox Hymnum. *Veni creator Spiritus*,cecinerunt, quo cantato ad altare summum processere Electores,& Nuncij,singulos Principum Electorū præeūte Marescallo,gladiūque vagina cōditū præferente;(quod Nuncijs absentium impermissum est,quia legati)& rite iuramentum Electioni præmittendum ex præscripto Aureæ Bullæ præstiterunt coram Euangelio S. Ioannis ante ipsos posito(*In principio erat verbum,& verbum &c.*)coram quo manus suas cum reuerentia supponunt pectori,Electores Ecclesiastici: Seculares vero illud manibus pressim contrectant ; hoc fere ritu seruato.

Ritus Electionis ipsiusmet.

Omnes supremum altaris gradum ascendunt,& ad circumstantes vultū conuerso,medius Moguntinus causas comitij sui conuentusque percenset, quomodo nimirum Principes Electores iuxta auream Bullam priusquam ad Electionem procedant , iuramentum edere teneantur de idoneo viro Principe in caput mundi & Romanorum Regem eligendo. Quod ipse primus pręstat, Treuerensi Electore formulam iuramenti pręenente & pręloquente,quæ est eiusmodi.

Elector Mogunt. præsentes alloquitur.

Iuramentū eius.

Formula iuramenti.

Ego Ioannes Suiccardus D.G. Archiepiscopus Moguntinus,Sacri Imperij per Germaniam Archicancellarius,& Princeps Elector,iuro ad Sancta Dei Euangelia hic præsentaliter coram me posita,quod ego per fidem, qua Deo & *Sacro Romano Imperio sum astrictus,secundum omnem discretionem & intellectum meum, cum Dei adiutorio eligere volo caput temporale in Cæsarem promouendum,qui ad hoc exstat idoneus,in quātum discretio & sensus mei me dirigunt,& secundum fidem prædictam,vocemque meam,& votum siue Electionem præfatam dabo absque omni pacto,stipendio , precio seu promisso,vel quocunque modo talia valeant appellari. Sic me Deus adiuuet, & omnes Sancti.* Dein vero reliquis coelectoribus idē propositum iuramentum est, & ab Electore Moguntino prælectum,adeoque ab omnibus ritè præstitum est. Elector autem Moguntinus duos Notarios,vt in acta referrent quæ vidissent,& instrumentum vnum,aut plura,vt vulgo vocant, super illis erigerent,aduocauit,qui è vestigio comparentes,affusam cleri & nobilium coronam ac circumstantes in testes nominatim requisitos, litteris consignarunt.

Iuramentū Electorum.

Edito iuramento Electores Nunciique subsellia sua repetiuerunt, cantatisque Antiphona,*Veni Sancte Spiritus* ; ac collecta,in Cæsaream capellam seu conclaue Electorū, proximum choro, augustum & oblongo fornice laquea-

Capella Electoralis.

laqueatum, tapetibus auro byssoque phrygio more pertextis ornatum ad Electionem ordine progressi sunt.

Qua in capella cum ad horæ spatium morati essent, intimi ac Primarij cõsiliarij, qui PP. Electores isthuc deduxerant, egressi sunt, & paulo post Principes Electores hoc fere ordine. Primus Moguntinus, dein Coloniensis ac Treuerensis, qui duo Ferdinandum Hũgariæ, Bohemiæque Regem, vti iã designatum Electum Romanorum Regem intermedium clauserunt, quos pone Palatinus, Saxo & Brandenburgicus, siue eorum Procuratores exceperunt. Mox tubicines & ahenotympanistæ Electum ingenti clangore & conclamatione prosecuti sunt, in omnibus templis æra campana compulsata, in vallis & propugnaculis vrbis tormenta maiora in lætitiæ plaususq; argumentum exonerata fuere. Interea Electus in summo gradu altaris genu flexit facie ad altare conuersa, Principes vero Electores omnes vtrimque stantes dixerunt. *Adiutorium nostrum in nomine Domini, &c.* Item psalmum 20. Dauidis Regis. *In virtute tua lætabitur Rex &c.* cum eodem spectantibus precibus collectisque. Quibus decursis Principes Electores Altari summo imposuerunt Electum Regem, & triplici distinctum choro hymnum SS. Ambrosij & Augustini. TE DEVM LAVDAMVS. decantarunt, in organo, per Musicos Regios & Electorales, & per Tubicines. *Educitur Rex Romanorum electus.* *Coronum coram altari procumbit.* *Summo altari imponitur.* *Te Deũ laudamus.*

Quo cantato altera ianuarum chori ad latus dexterum reserata est, ac sua Regia Maiestas ab altari leuata per Electores ac Legatos in theatrum pro choro erectum, attalicisque tapetibus circumquaque confectum deducta est. Erant autem in eodem septem sedes collocatæ, nigro holoserico coopertæ pro Principibus, insuper adhuc vna sedes cæteris vno gradu sublimior, aureo aulæo instrata, ipsius Regis consessui destinata, in qua ille collocatus fuit, à cuius dextera Moguntinus, & Palatinus, à sinistra, Coloniensis, Saxo, Brandenburgicus: Treuerensis ex aduerso Regis in medio consederunt. Palatino globum Imperij cruce insignitum, Saxone euaginatum gladium, Brandenburgico sceptrum aureum manu tenentibus. AEneatores quoad Principes Electores sessionem suam caperent, tubis suis intersonuere, tympanotribæ ingenti concussione ac numerosa applausere. Quo mox abrupto sonitu Electio legitima Regis Romanorum est per Reuerendissimum D. Iacobum ab Eltz / Decanum Metropolitanum Moguntinensem proclamata, in hunc propemodum sensum. *Deducitur Cæsar Electus, ad theatrum.* *Proclamatio Electi Ferd. II.*

Sacro Romano Imperio, per mortem felicis memoriæ inuictissimi Imperatoris, Matthiæ, capite orbato præsentes Principes Electores, & absentium legales Nuncij (prout diuersi Cæsares multis legibus præscripsere) ad Electionem alterius capitis procedendum esse vnanimiter definierunt, cumque fere omnes Principes ac potestatem virtutesque singulorum, istius eminentissimi fastigij capacium in consilium suum traxissent, Ferdinandum secun-

dum secundum, potentissimum Bohemorum & Vngarorum Regem, Archiducem Austriae Ducem Burgundiae, Principem Electorem &c. Regem Romanorum Caesaremque rite & legitime nominarunt, & concordibus suffragijs nullo dissentiente, elegerunt. Quam legitimam Electionem omnibus & singulis notam facimus, de mandato Principum Electorum, Dominorũ nostrorum clementissimorum, vt quilibet, qui se Sacri Romani Imperij subditum profitetur, Ferdinandum II. Regem Romanorum agnoscere, colere & obseruare vbiuis locorum, debitumque regiae suae Ma.ti honorem reuerentiamque deferre nouerit, &c Cumque finisset Decanus, passim cuiusque Sexus, ordinis & dignitatis homines in lætitiæ applaususque monimentum, inclamauere. *Viuat, Viuat, Viuat,* Rex Ferdinandus, &c.

Egressus ex Basilica Ferd. II cũ Electorib.

Postmodum peracta illa publicatione buccinis insonuere tubicines, & aheno tympana illorum geruli tam diu percussere, quoad descensione facta Principes Electores, cum Sua Regia Ma.te ex theatro, hoc fere ordine processissent. Primus omnium Treuerensis, tres deinde in vna linea Legati absentium, Palatinus cum globo Imperiali à dextris, Saxo cum districto gladio in medio, Brandenburgicus cum Sceptro aureo à sinistris. Quos Ferdinandus II. Rex Romanorum secutus, à dextris Moguntinum, à sinistris Coloniensem, nonnihil pone gradientem habens: egressique Basilica ad principaliores eius valuas equos inscenderunt, suam Regiam Maiestatem vsque ad palatium vulgo Braunfelß / dictum, more maiorum deducentes. Præiuere in frontispicio pompæ illius aulici & ministeriales, mox Nobilitas & alij Comites ac Domini, tertio consiliarij intimi Electorum, quos ipsi Principes Electores, & absentium Procuratores cum sua Regia Ma.te exceperũt, ita vt Princeps Elector Treuerensis solus equitaret, quem tres absentium Electorum Nuncij sunt insecuti. Illos sua Regia Maiestas sola, denique Principes Electores Moguntinus & Coloniensis simul equitarunt. Plateas ciues armati à Basilica D. Bartholomæi vsque ad Palatium Regis occuparant, quos inter medios pari lentoque passu spectabiles processere, cumque Ferdinando II. Augusto deductionis officium ac comitiuæ honorificentissime præbuissent, Electores Principes rursum ad consilium sunt regressi, Rege in palatio relicto, quos fertur, de arduis & prægnantissimis S. Romani Imperij rebus consultationem instituisse. Interea Reuerendissimus & Illustrissimus D. Antonius Albergatus, sedis Apostolicæ cum potestate legati de latere ad Rheni tractum Nuncius, cum perillustri D. Fabio Albergato nepote, ex fratre filio, qui cũ Electore Colõ. ingressus vrbẽ fuerat, adfuere, vti & Principis Ioannis Godefridi Bambergensis, & Herbipolensis Episcopi, Franciæ Orientalis Ducis à Tungen Præpositus Herbipolensis: Spirensis, Argentinensis, Principum: quinimmo ipse Wormatiensis Antistes se stitit in persona. Legatus Regis Hispaniarum Catholici, & Franciæ Christianissimi Regis, vti & Archi-

Don Baltasar de Luniga de consilio Regis Catholici.

Variorum Principum Imperij Legati & Oratores

Archiducum Belgij, Ducum, Bauariæ & Lotharingiæ nominatim, & aliorum Principum Oratores, felixque Electo regiæ & Imperatoriæ Maiestatis auspicium comprecati sunt. Die sabbathi vero ante coronationem Illustrissimi Principes Ludoicus, Comes Prouincialis Hassiæ, Darmstadiensis cũ duobus filijs, & Illustrissimo fratre suo Philippo, insigni cum equitatu vrbem ingressi sunt.

Ad coronationem, quæ ordinarie Aquisgrani peragi solet, ibidem instituendam, omnia consilia sunt collata, propter temporum locorumque iniurias ac pericula, item apparatus amplissimus factus est, tum in D Bartholomæi basilica, tum pro Curia Senatoria culina erecta, in qua bos integer, vario quadrupedum altiliumque genere differtus assandus, & pone curiam altera culina, epulo Cæsareo præparando destinata, in aula vulgo Kastenhoff dicta; item fons quoque dispositus, qui per tubos canalesque vinũ albellum rubellumque eijceret: denique pons quoque ligneus, per quem Maiestas regia, à curia vsque ad templũ cum Principibus Electoribus progrederetur, per amplum illud vicorũ & platearum ac fori spatium positus & ædificatus est. *Apparatus Coronationis.*

Interea Principes Electores ab electionis die vsque ad coronationis sese inuicem salutarunt, & secundum faciem sanctorum conuiuati sunt: at sexta & septima mensis Septembris, Rex Ferdinandus cum duobus Electoribus, Reuerendissimo Moguntino, & Serenissimo Coloniensi ad venationem profecti, cum aliquantulum sese à molestijs recreassent, altero die imminente vespero, ad Coronationem sese dispofituri, reuerterunt. *Venatum abeunt E. lect.*

Deus Opt. Max. Serenissimæ Regiæ Ma.[ti] vitam & sanitatem, pacificum Imperium, & de rebellibus hostibus salutem victoriamque Clementissime impertiri dignetur, mecum omnes orthodoxi comprecantur.

Nunc quia ex defectu asterisci Genealogia Brandenburgica posita non est suo loco, hic eam damus. De Electoratu Marchiæ & Archicamerarij dignitate dicendum primo est, quod plures Principes Imperij eam tenuerint, & à diuersis Imperatoribus infeudationem & inuestituram eiusdem acceperint. Nam 1. ex Comitibus VVettinensibus tres, 2. ex Comitibus Stadensibus quatuor. 3. Ex Comitibus Ascaniæ & Principum Anhaltinorum tredecim. 4. Ex Comitibus VVettelsbachicis qui ex hodiernorum Serenissimorũ Bauariæ Ducum sanguine fuerunt, tres. 5. Lunebergensium ducum, ex quibus vnus. 6. Ex Comitibus Zollerensibus & Burggrauijs Norimburgensibus nouem, vt illud Pentametrum vsurpare queas apud Iurisconsultos. *Genealogia Brandenburgica.* *Varia familia Electores.*

Mutauit Dominos Marchia sæpe suos.

Tum quia stirpes ac familiæ quædam absque prole mascula emortuæ, pleræque omnino improles, pleræq; aliis de caussis, cuiusmodi sæpe in Imperio accidunt,

signauit. Cuius filius Ioachimus I. Anno Christi. 1484. natus insigniter ingenium heroicum litteratura varia excoluit, trium linguarum cognitionem insigni in Principe exemplo hausit, & ideo Academiã Francofurtensem ad viadrum seu oderam instituit anno 1506 colloborante Alberto Archiepiscopo Moguntino fratre; Alexandro VI. summo Pontifice, & Maximiliano I. Cæsare certis diplomatis priuilegia ei donantibus. Fatis concessit, anno 1535. ætatis anno 5 . Et hi omnes Burggrauij & Electores Romano catholici fuere, qui sequuntur nouitijs dogmatis sectariorum infecti ab Ecclesia Romana fecere diuortium. Ioachinus I I. eius filius anno 1503. natus, fideliter Caroli Cæsaris partes secutus est, etsi Lutheri placita amplexus esset. Hic veterem Religionem Romano catholicam, cum Augustana confessione & Lutheranismo in Marchia Brandenburgica anni 1538. & 15.9. permutauit. Primam enim, vt vocant Ecclesiarũ visitationem instituit de mandato Principis Electoris, Iacobus Stratnerus, quem Georgius Marchio Onoltzbacensis Berlinum ad docendum nouum Euangelium miserat. Eodem anno Matthias Episcopus Brandenburgensis cænam sub vtraque specie primus administrauit Berlini in templo cathedrali, mortuus anno 1571. & Coloniæ ad Sueuum sepultus Huius filius Ioannes Georgius Marchio & Elector natus anno 1525. bello Schmalkaldico pro cæsare militauit, & LXXIII. annorum factus, anno 1546. in Electoratu & Marchionatu succedẽs. Ioachimus Fridericus viuo Patre Administrator fuit Archiepiscopatus Magdeburgensis, quo ex humanis abeunte anno 1593. ipse vsque ad annum 1601. præfuit; Seniori filio Ioanni Sigismundo nato Anno Christi. 1571. Halæ Saxonum 8. Nouemb. qui duorum Imperatorum DD. Matthiæ & Ferdinandi Electioni & Coronationi per hunc Legatum interfuit , & ducta Anna filia, Alberti Marchionis Brandenburgici & Borussiæ Ducis & Mariæ Leonoræ filiæ Guilielmi Cliuorum Ducis, ius in Ducatus Iuliæ, Cliuiæ, Montium prætendit, quod eà lege Pater filiam elocasset, ac testamento ita disposuisset filias hæredes fratribus improlibus decedentibus in dominijs suis successuras. Et quidem eo magis hoc Electorem vrgere , quod coniux sua primogenitæ Cliuensis filia esset, de cuius iure ad ducatus Iuliæ Cliuiæ montium &c. in deductione domus illius legere & intelligere poteris.

Ioachimus I. *Academia Francofurt. erigitur, ad Oderam.* *Hucusque Electores orthodoxi.* *Ioachimus. II. mutauit relig. Cath. in Lutheranam.* *Ioannes Georgius LXXIII. annorũ factus.* *Ioachimus Fridericus.* *Ioannes Sigismundus. Elector Matthiæ & Ferd. II. Cæsarum.*

Non abs re fore quoque iudicaui personarum singularum meminisse, quæ, tum in Electorum præsentium comitatu, tum vero in nunciorum legalium familia fuerunt, ad memoriam cuiusque gentis sempiternam quarũ Catalogum ex ordinaria historia desumpsi. Apud Electorem Moguntinum numerãtur. Ioannes Reinhardus Comes Hanouio Bipontinus: Reuerendissimus Iacobus ab Eltz Capituli Metropolitani Moguntinensis Decanus Ioannes Reinhardus à Metternich consilij Aulici preses : Ludouicus ab vlm

Catalogus personarum cum Electore Mogun. tino venientium.

Imperij Vicecancellarius : Petrus Ernestus à Stralendorff L. Baro : Adamus Philippus Dominus in Cronberg Ferdinandi Regis & Achiducis Alberti Camerarius & eques: Lamoralis Baro de Taxis: Ferdinandus à Mucquenthal: Iohannes Philippus à Hoheneck consiliarius & eques: Iohannes Carolus à Scœnberg consiliarius: Iohannes Fridericus à Lantzberg: Iohannes Philippus Cnebel consiliarius : Iohannes Philippus à Rodenstein consiliarius: Henricus Grifenclau à volrat: Iohannes Henricus ab Eltz: Damianus VValpottus à Bassenheim: Iohannes Daniel à Cronberg: Iohãnes Eberhardus Cnebel consiliarius: Iohannes Salentinus Faustus à Stromberg: Iohannes Philippus Speth à suifalt: Iohannes Ludouicus à Kerpen: Iohannes VVolffgangus à Leien: Philippus Iulius à VVetter: Daniel à Gutten: Gottfridus Ridesel: Henricus Ernestus à Kerpen, Iohannes Adolphus Spiessius, Fridericus Vlnerus, Philippus à Rodenstein, Iohannes Suichardus à Sickingen, Melchior ab Hatzfeld: Volffgang-Iohannes à Dalberg, Iohannes Ioachimus à Reiningẽ, Iorchimus Grifenclo à Volrath: Philippus Ludouicus Hundau à Saulheim, Philippus à Partheim, Hadrianus à Gatzfeld, Nicolaus Gereõ D. Cãcellarius. Casparus Fleischbein. L. cõsiliarius, Iohãnes Rudigerus cõsiliarius. Ad sacra requisiti, Reuerendissimus Stephanus VVeberus suffraganeus Moguntinus, Fridericus à Sickingen Vicarius in Spiritualibus: Iohannes Coppius aulæ Diaconus: Georgius Sartorius Medicus : Et hi cum Moguntino.

Trium absentium Electorum Vicarij, quos secum adduxerint.

Cum Saxonis Electoris legato VVolfgango Comite à Mansfeld, venere Esaias à Brandenstein in Oppurg, VVolfgangus à Luchlau, Gabriel Tunsel I.V.D. Cum Legato Electoris Palatini Ioanne Alberto Comite Solmensi, Ioannes Christophorus à Grũ, Volradus à Plassen: Hẽricus Theodoricus à Schonbergh: Ludouicus Camerarius V.I.D: Andreas Paulus, Ioannes Fridericus Schloer, D. Georgius Fridericus Pastor, D. Ioannes Ioachimus à Rusdorff consiliarius aulicus, Ioannes Eberhardus ab Eltz: Ioannes Mendelius à Steinfels: Ioannes Conradus Blanerus à Geiersperg: Ioannes Albertus iunior Comes Solmensis. Ioannes Georgius à Grun: Iodocus Paulus à Gotsloff: Laurentius à Reuenslau: Ioannes Theodoricus à Tsesih: Fridericus Landscadus à Steinach: Iulius à Damm, Abrahamus Sculterus Th. doctor: Martinus Haufmannus: Ernestus Aichbrunnius & alij. Cum legato Electoris Brandenburgici Adamo Gans fuere, Fridericus Pruckman I. V. D. Christianus à Bellien: Samuel à VVinterfelt. Ioachimus Fridericus Gans, dominus in Putlitz, Leuinus Ludolphus ab Almensleben: Ioannes Georgius à Pudeuelt, Adamus à Phare: Ioannes à Daluitz: Ditlofius à Bellien: Buso ab Almensleben: Adamus à VVinterfeld : Christophorus Dreherus: Fridericus Lutterus: Ioannes Cernitius: Christophorus à VVitstrauch: Ioannes à Rhot: Ioan-

Ioannes Christophorus à Bellien: Ioannes Sigismundus à Lucdeuitz: Reimarus à Bradau: Nicolaus à Rederitz, & alij.

Cum Serenissimo Coloniensi Electore præter nominatum Reuerendissimum Comitem Idelium Fridericum Præpositum Coloniensem & Magdeburgensem, venere Ernestus à Linden in Reckum: Stephanus à Vrede in Meschede: Arnoldus à Bucholtz Præpositus Leodiensis & Hildesheimensis: Theodoricus à Reck: Egon Comes Furstenbergensis: Volradus comes VValdeccensis: Ernestus Fridericus comes Salmensis Ernestus Comes Marckensis: Philippus Theodoricus Manderschitensis : Carolus Ernestus vicecomes in Dornal: Carolus de Baex, Dominus in Rade: Henricus à Distling in Odenhausen senior: Dyonisius de Potiers Dominus in Fenff: Eberhardus de celle vice comes de Inherinne: Melchior de Meschede in Almen: Adolphus Ratz à Frentz, camerarius: Adolphus-Sigismundus Ratz de Frentz, Camerarius: Theodoricus à Vehlen Camerarius: Fridericus de VVestphalis Camerarius: Gaudentius in VVeix: Adolphus-Henricus VValpottus à Passenheim: Dominus Fabius Albergatus: Iohannes à Melder: Ioannes Henricus Schellius à Bell in Ebertzheim: VVilhelmus Horrion in Hell: Luduicus Aressius: VVilhelmus Scheifert, cognominatus VVeisvveiler: Ernestus à Mirbach cognominatus Henneff. VVilhelmus à Scheifert cognominatus Clermont: Iohannes VVilhelmus Schalsen in Mulheim: Henricus Degenhardus Schall in Bell: Philippus à Schœnberg: Bertramus ab Hasel rad: Alexãder à Vehlé: AlexãderSimonis Antuerpiẽsis, Secretarius linguarũ, vvolffgãgus-Hẽric⁹ Viereck, Iohã-VVolf gãg⁹ de salis: Iohãnes de vicõ: Iohãnes de Berlo: Hẽricus Hãxler: Ioãnes à Plettẽberg: Iohãnes à Schvãsbeck: Iohãnes Arnold⁹ à VVachatendunck: Adamus Quadus in Bilchfeld: Ernest⁹ a Vehilen. Eduard⁹ veris: Iohannes Hagen: Christophorus VVentzlerus V.I.L. Arnoldus Prum cognominatus Aldenhouen V.I.D. Daniel Schillinus Secretarius: Arnoldus Heufft secretarius: Petrus Hulsmannus Secretarius: Iodocus Tilmannus: Guilhelmus Portugall: Iohannes Casparus Vngspeck ; Melchior Hagenacher: Theodorus loeper: Petrus VVinæus confessarius Theologiæ D. Societatis Iesu: Christophorus Stephani: Henricus Geringius medicus: Benedictus Schuendius: Petrus Millmannus : Florentinus Hostellerius , Guilhelmus Landru: Ioannes VVeibel, & alij, quorum nominibus supersedeo.

Catalogus personarum cum Electore Coloniensi venientium ad Electionem.

Cũ Electore Treuerensi fuere Carolus Comes Manderschiedensis & Gerollstein: Christophorus Comes Leiningẽsis: Carolus comes Lenõcurtẽsis: Iohannes-Henricus L. Baro Reiffenbergensis :. Theodoricus Canonicus ab Horst. Carolus de Metternich, Emmericus de Metternich, canonicus: Ioannes Zandius à Merle : Iohannes Gertzen cognominatus Sintzig. Guilhelmus de Metternich eques ordinis San. Iacobi: Iohannes-Iacobus Dominus

Catalogus Personarum cũ Electore Treuerensi venientium.

in Beck & Beffer: Lubertus ab huden, Dominus in Maubach. Ioannes-Rubertus à cesselstat: Iohannes-Casparus à Leien: Theodoricus-Ludouicus à Pulictz: Iohannes Wilhelmus ab hunelstein: Nicolaus Samson ab Hagen: Lotharius de Metternich: Iohannes Petrus à vvallendorff: Carolus Rudolphus à meſpelbrun: Philippus Eberhardus Ridelel in Canberg: Iohannes, Georgius ab Ambhauſen: Iohannes Eberhardus mohrt à Sylua: Matthias à Kerckringen: Samſon-Fauſtus à Stromburg: Iohannes Bernhardus ab hagen: Lotharius à Metzenhauſen: Guilhelmus-vvernerus ab Alt Sommerau & Braſberg: Ludolp⁹ de metternich in Hedeſdorf: Frideric⁹ à ſtain, Dionyſius de Phareto: Lucas Raugrafius: Carolus Probſtius: Cuno à Grauenſtein: D. Cancellarius: Arnoldus Schlaun V. I. L. aulici Iudicij Director: Henricus Bormannus à ceſſel, conſiliarius, Nicolaus langmeſſer conſiliarius: Henricus Barglouius Med. D. Iohannes Milauerus Secretarius: Iohannes Remmerus: Rupertus Schurig: Philippus Greuel: Iohannes Fallius: Iohannes Paulus Geuuinnius Theol. D. & concionator aulicus: Iohannes vignotius: vvilhelmus à Pfatzel Diaconus: Iohannes Iacobus Merlachius: Franciſcus montralius Cameræ miniſter: Iohannes-Theodoricus Krummel à Nachterſtein: Franciſcus Bardinius: Eberhardus à Brambach: Iohannes Eberhardus Braun à Smitburg: Bernhardus ab Hauſtein: Ludouicus à Brambach: Numerus comitatus totius ad perſonas ducentas quinquaginta & vnam; equi verò ad centū & ſeptuaginta vnum aſcendiunt.

Catalogus perſonarum cum Sereniſſimo. Ferdd Rege venientiū.

Cum Ferdinando Bohemiæ & Hungariæ Rege, Archiduce Auſtriæ &c. Francofurtum aduenere Iohannes vlricus ab Eghenburg L. Baro & conſilij ſecretioris Director: Leonardus-Helfridus à Meggau. L. Baro. Secretioris conſilij & camerarius Regius: Maximilianus L. Baro in Trautmansdorff: Bernhardinus L. Baro in Herberſtein: Iohannes-Iacobus Kysle. L. Baro: Iohannes Georgius comes in Hohenzollelern: Gundaccenus comes à Fichtenſtein: vratislaus comes à Furſtenberg: vvolffgangus-Sigiſmundus Dominus in Loſſenſtein: Maximilianus comes à Ditrichſtein: Godfridus à Stadel L. Baro: Polycarpus Scheidt L. Baro: Gundaccenus à Polheimm L. Baro Iohannes Chriſtophorus, à Paar, L. Baro: Bruno comes à Mansfeld: Marquardus Vrſenbeck L. Baro: Ioannes Erneſtus Fuggerus L. Baro: Iohannes Fungerus Iunior L. Baro: Georgius Seller Baro: Georgius à Nachor Baro: Godefridus à Salburg Baro: Gvvilhelmus vratislaus Baro: Maximilianus à V Valeſtein Baro: Iohannes-Iacobus Curtſius: vvenceslaus à Perſtein Baro: V Venceslaus à vveben Baro: Henricus à Culbart Baro: Carolus comes de Portia, Carolus Dominus de Santelier: Fridericus Caurianus: Carolus Hanibal à Thona: Sento Popelius à Lobcovvitz Baro: Berchtoldus Buſubut Baro, Ioannes Philippus Fuchſius: Leonardus Gutz, Iohannes Baruitius, Rupertus

pertus

pertus Hogenmuller Hieronymus Eluar, Otto de Hostitz, otto melander Comes palat. consiliarius: Iohannes Fuchs: Gallus à Ragnitz Baro: Ioannes Baptista malonius Iohannes Iacobus magnus: Hieronymus Standerus, Alphonsus in Requesens Episcopus: Pater V Villericus confessarius, Societatis Iesu Pater Amende concionator aulicus, Iohannes à metzenach: Daniel lucanus: Maximilianus à Kochi: Gilbertus vassus : Thomas Mangonius Med. Dominus Geruasius vaolianus, Mouentius Baruanus Diaconus: Christophorus Grunbergerus, Iacobus Bruneo: Rudolphus Puchenus, Hermannus Quæstenbergius, Matthias Arnoldinus, Menoldus Hildebrandus, Laurentius Firentius: Gabriel Gerardus, Thobias Praun: Fridericus Dauid Schaller: Philippus Fabricius Et hi cum Rege Bohemiæ, Ex quibus si aliqui omissi, aut incongruæ expressi sunt, id mihi vitio non vertat, lector sed auctori annalium Tom. VIII. lib. 2. fol. 649. vsque ad 655.

Atque hæc de libro secundo dicta sufficiant, ijsque omnibus, quæ ad Electionis, solemnitatem legitimam spectant nunc ad coronationem gradus est faciendus.



LIBER III.

DE CORONATIONE FERDINAN. II. IN REGEM ROMAN. FRANCOFVRTI.

Cur sit Frãcofurti coronatus.



ONTRACTE satis ea percẽsuimus, quæ Electionem Regiam antecessere, quæ comitata sunt, quę excepere, nunc paucis augustissima Coronationis solemnitas est pertexenda, quomodo nimirum illa Deo propitio, eademmet in vrbe felicissimum exitum sit sortita. Tametsi enim ex sanctionibus Cæsareis Bullæ aureæ palam constet, Electionem Francofurti, coronationem Aquisgrani, & primam curiam seu comitia Imperatoria Norimbergæ agitanda perficiendaque esse, nihilominus Septemuiris ita clementissimè visum fuit ibidem coronationem perficere, quod varijs ab antiquitate petitis exemplis constet, non semper eidem sanctioni Principes Electores grauissimis de causis, fuisse obsecutos. Nam Rupertum, vel Robertum Bauarum Palatinum anno MCCCC. in Rensen oppido Electum, Coloniensis Archipræsul Fridericus in Regem Romanorum Coloniæ in maiori Basilica S. Petri vnxit & coronauit, teste Trithemio, cui mox ciues iuramentum quoque fidelitatis de more præstiterunt, Anno Christi, MDXXXI. V. Ianuarij. Ferdinandum Hermannus de VVeda Coloniæ quoque in D. Petri Basilica electum, coronauit Aquisgrani. Anno MDLXII. Maximilianus II. coronatus est Francofurti, Rudolphus II. Ratisbonæ, anno LXXV. Rursum Francofurti Matthias, an. 1612. quibus accensendum augustissimum Regem Ferdinandum II. iudicarunt.

Cum autem illi solemnitati diem IX. Septembris Principes Electores postridie B. M. V. stylo nouo præfixissent, veredarios pernicissimos emiserunt

runt, qui tempestiue satis Imperiales vrbes, Aquisgranum & Norimbergam aduerterent, vt Regalia Imperij symbola siue • sic vocitata, ab aliquot annorum centurijs apud ipsos in fideli deposito, Francofurtum adducerent, quod illorum vsus in coronatione necessarius cumprimis esset.

Vt autem constet omnibus, quænam vtriusque ciuitatis regalia sint insignia, quam potero breuiter percensebo, prout ea mihi communicauit Reuerendus & Nobilis D. Bruno Beissterfeld/ Canonicus Aquisgranensis & Thesaurarius, Sanctissimi Sepulchri eques, amicus meus. Habent enim pro more Principes Electores, vt Electione Regis Romanorum feliciter peracta, euocent Capitulum & Prælatos Regalis Ecclesiæ, litteris sex Electorum manu subscriptis, proprijsque sigillis consignatis, vti quoque hac Electione 28. Augusti instituta, factum est, Moguntini scilicet, Coloniensis, Treuerensis, Saxonici, Palatini & Brandenburgici. Quas cum accepissent, illico itineri sese accinxerunt, videlicet 3. Septemb. Reuerendus & Nobilis D. Lambertus Strauius Decanus illius Ecclesiæ, Canonicus cathedralis Leodiensis, I.V.D. & S.R.E. Protonotarius, item Reuerendus & nobilis D. Theodoricus à VVoestenraidt Cantor & Vice præpositus, D. Henricus Duistervvaldt à Secretis. Detulerunt vero secum ex sanctissimo suo Lipsanophylacio gladium S. Caroli Magni persico acinaci non dissimilem, cuius capulus aureus, insolentibus gemmis est districtus, & serpentis exuuijs obductus, vagina vero insigni portione monocerotis est exornata, quo ordinarie Regia M.tas equites auratos erat. Dein librum Euangeliorum aureis litteris scriptum, quem in Sepulchro S. Caroli Magni Lamina argentea inaurata tectum repererunt. Tertiò Sanguinem S. Stephani Protomartyris aurea capsa clausum, quæ puro auro & vnionibus incrustata est, de quibus postea.

Ex parte Magistratus Regiæ sedis & vrbis Aquisgranensis Legatos Capituli & Commissarios comitati sunt, etsi litteris specialiter euocati non fuerint, D. Ioachimus Berchemius I.V.D. Consul Scabinalis pro tempore, D. Theodorus Speckheuuer / I.V.L. consul ciuicus, D. Lambertus Nutten I.V.D. syndicus. Qui omnes redierunt Aquisgranum 21. Septemb. *Quinam ex parte Senatus Aquisgran. vocati sint.*

Norimbergenses, quæ adferant, Reuerendus & Clarissimus D. Petrus Beeckius/ Can.cus Aquisgranensis in suis Annalibus Aquisgranensibus, breui ab eodem edendis copiosè persequitur, eaque suo tempore videbit lector curiosus. Primo habent coronam Regalem eamque Francofurtum deferunt Norimbergenses, qua Romanorum Reges coronantur, & pijssimus quoque Ferdinandus, II. coronatus est, intra cuius ambitum mitra Episcopalis, bicorni cacumine exsurgit, ad partem anticam seu frontem corona illa crucẽ habet, quinque bene magnis adamantibus distinctam, quam longa series vnionum *Quænam insignia Imperij Norimbergenses Francofurtum adferant.*

nionum

nisi quod verear eos malæ fidei esse, quibus parum Senatus fidat: vel potius quia reliquiarum cultum in postremis habeant. Quæ omnia, si subducta ratione expensum ire placuerit, habitum Cæsaris non alium esse reperiemus, quam Episcopi aut Sacerdotis fere augustissimum Missæ sacrificium peragentis. Hinc enim amiculum cum vna commissura quadrata seu almucium visitur: alba quoque quatuor commissuris, gemmis, adamantibusque rigentibus ad manicam vtramque & oras infimas ante ac retro distincta: stola quoque ac manipulus, dalmatica & cæt. qua antiquitatem habituum sacerdotalium, præ pænulis prædicanticis, solidissimè euincunt. Ideo meminerint isti Rabulæ, quando in eos amictus sine fronte & cerebro inuehuntur, se regiam Maiestatem sugillare, quæ sibi vel maxime religioni ducit suam coronationem istiusmodi ornamentis consecrare. Palam enim profitetur se Religionis Romano Catholicæ in qua inconcussus eorundem vsus perseuerat, assertorem, promotorem, Augustum ac defensorem esse semper, & vbique locorum esse velle: & vti sanctos esse oporteret qui portant vasa Domini, ita Cæsaris quoque patrocinio in cultu Dei debere esse securos. Aquisgranensibus autem & Norimbergensibus imperata facientibus, insuper quæ ad solemnitatẽ factura videbantur apparatu iam facto apponuntur. Inprimis duo tabulata aliquot gradibus eleuata erigũtur in D. Bartholomæi Basilica versus occasum ab vtroq; latere Baptisterij, vnde in omnem partẽ prospectus procliuis esset, phrygijs aulæis & peristromatis instrata, in quæ, Comites, Barones, Nobiles alijque primores purpurati ac consiliarij sese reciperent, spectaculi acuratioris causa. Dein aliud pegma siue ligneam machinam multis asseribus compaginarunt, ad meridiem, eique solium regium imposuerunt, vt isthoc loci Imperator equites auratos peracta coronatione crearet de more. pro cuius augustiore splendore, aureis peristromatis ad illud exornandũ vsi sunt. Erat autẽ tabulatũ panno coccineo contectum, in cuius superiori parte solium collocatum erat, aureo aulæo coopertum, super quod conopæum seu baldachinus, vti vocant, extendebatur.

Imperatoria ornamenta paria fere Sacerdotalibus.

In Basilica D. Bartho. duo tabulata erigũtur.

Præterea theatrum aliud in Ecclesia insigni cum apparatu erigebatur, de quo gynæcæum, & diuersorum Principum coniuges, totã solemnitatem coronandi Regis spectarent: vti quoque pro altari S. Crucis in naui basilicæ aliud erectũ pegma, in quod tribus gradibus ascẽdebatur, coccineo contectum panno, & supernè latiore conopæo pensili circumductum; Hisce omnibus affabre compositis, ad nonũ diem septembris coronatio in dicta sumpsit exordium, quo die omnes portæ vrbis obseratæ, ciues in armis esse iussi per diuersa loca dispositi & præsertim à Curia Senatoria, Romana vulgo dicta vsque ad D. Bartholomæi

Theatrum Gynæcei.

Inchoata Coronatio.

N Basili-

Præsidiarij in armis. Basilicam, ipsiusque Regis palatium Braunfelsium dictum ab vtroque latere consistentes. Quem stipendiarum coegerat Senatus, militem in valla & propugnacula seruandæ vrbi distributus est. Equitatus ciuicus pontem ligneum vtrimque obsidebat, coccineo panno laneo instratum à Curia vsque ad D. Bartholomæi, ibidemque ad nutum imperiumque Regis & Electorū consistebat. *Campana nundinalis.* Campana, vt vulgo vocatur, nundinalis mane, ad horam sextam, dein vero ad septimam compulsata est. Porrò mareschallus à Pappenheim adiens Ecclesiam, omnia coronationi futuræ adaptauit.

Ordo & progressus Electorum ad Basilicā S. Bartho. & Legatorum Regalia ad ferentium. Primus ex Electoribus Reuerendissimus Moguntinus, vti Conseruator in habitu Electorali ad Ecclesiam adijt, excepit illum Reuerendissimus Treuerensis in eodem schemate, denique ad horam septimam Serenissimus Elector Coloniensis in Electorali quoque podere ac pileo; perinde atque in Electione more maiorum fuerant euestiti, choro basilicæ succedunt. Deinde Legati Aquisgranensis & Norimbergensis ciuitatum Imperialium (qui paulo antè ad vrbem appulerūt) sacri Romani Imperij symbola ac cimelia regalia adferentes, quæ tradere antiquitus Electoribus consueuerunt. *Altare S. Crucis coronationi seruit.* Electores post pauxillum morę posito electorali amictu pontificalibus sese velauere, & ad altare crucis pro choro positum egressi Principes Electores, Moguntinus comitantibus Dominis Decano ac Vicepræposito Aquisgranensibus, & Reuerendissimo D. Decano Ecclesiæ Metropolitanæ Moguntinensis Iacobo ab Eltz, orbem Imperialem seu pomum sphæricum altari imposuit, dein Treuirensis gladium, Coloniensis sceptrum, Illustrissimo Nuncio Apostolico Antonio Albergato, Oratore Regis Catholici Excellentissimo Domino Comiti de Onnate Sacræ Regiæ Catholicæ Maiestatis de cōsilio, qui D. Balthasari de Zuniga, Zelosissimo Oratori successerat, Comitibus Prouincialibus Hassiæ, Comitū, Baronū, & equestris ordinis numerosa corona, Legatis item Coloniensis, Aquisgranensis, Francofurtensis, Norimbergensis vrbium inspectantibus. In illo enim altari moris est coronationis solemnitatem, quotiescunque illa Francofurti institui solet, peragere, omniaque ibidem quæ futuræ coronationi conducent apparare. Insuper & alius gladius ad instar turcici acinacis eidem imponitur, quem Caroli Magni fuisse firma ac inuariabili traditione didicimus, vti superius attigi. Quibus omnibus in altari crucis depositis, choroque repetito Regiam suam Ma.^tem^ expectabant.

Propria Coronatio Elect. Colon. Omnibus autē notū est, illam coronationem Germanicam Electoris Coloniensis propriam esse, non tantum Aquisgrani, velut in diœcesi sua, verū etiam in alijs vrbibus Imperij, vbi coronationem institui contigerit. Pari modo vt Archiepiscopi Mediolanensis est Lombardica, & Romana Summi Pontificis. Hoc enim solemne Monarchis & Regibus, certum Antistitem habere

habere, qui propter officium & dignitatem, quam in sacris sustinet, cælestem benedictionem vngendo, consecrando, SS. Missæ sacrificium operãdo impertiatur. Exempla sicut obuia Summum regni Sacerdotem id semper egisse. Sic Hispaniarum Monarcham coronat Archiepiscopus Toletanus Primas Regnorum: Galliarum Regem Archiep. Rhemensis, iam inde à S. Remigio Clodouæum coronante sacris ritibus ac more deducto: Regem Neapolis Antistes Neapolitanus: Siciliæ Regem Panormitanus; Angliæ Cantuariensis; Poloniæ Regem Gnesnensis Hungariæ Strigoniensis Bohemiæ Pragensis, Daniæ Lundensis, Sueciæ Lipsolensis Archiepiscopi, consecrare soleant.

Origo Coronationis, à Coloniensi. Porro illud ius à Carolo Magno primam sedem Aquisgranum statuente Regni Germanici & Imperij, donatum est, quamuis Moguntinum non raro hos religionis & ordinis sacri actus Imperatoribus impendisse liqueat. Cum Otto I. Henrici I. filius Aquisgrani coronandus esset, *teste VVitichindo lib 2 de reb. gest. Saxon.* in principio quæstio Pontificum de consecrando Rege Treuerensis ac Coloniensis orta est: illius quia antiquior sedes esset; huius quia ad suam diœcesin pertineret locus, & ob id sibi conuenire arbitrati sunt huius consecrationis honorem. *Vterque tamen cessit Hildeberti Moguntini cunctis nota almitati.* Sic ille. Post quem aliquot Imperatores à Moguntinis consecrati sunt. Deinceps vero, Henricus III. à Pelegrino Archiep. Colon. teste Krantzio est coronatus. Filius eius Henricus IV. ab Hermanno de quo refert *Lambertus*, quod maior generis claritas Hermannum Coloniensem, quam Lupoldum Moguntinensem commendabat. Ille enim Palatinus Rheni erat, hic vero ex monacho Fuldensi ad Archiepiscopatum euectus fuerat. Ratio præter institutionem potissimum ex eo sumitur, quod vrbs regia Aquisgranum intra diæcesin ipsius sit, vnde ius illud coronandi Cæsarem inuiolabiliter, & immutabiliter temporibus præteritis ad hoc vsque momẽtum profluxit. Gũtherus *lib. 1. in Ligurin.* de coronatione Friderici I. ius illud clarè satis demonstrat.

Imposuit capiti gestamina regia Sacro
Arnoldus, quo tunc Pastore Colonia diues
Gaudebat, quippe hunc veteris sibi iuris honorem
Vendicat ille locus.

Ideo quicunque Henricum III. secuti sunt Cæsares, hunc honorem & hoc ius Coloniensi reliquerunt, & inconcusse asseruerunt, adeo vt vsque ad Aureæ Bullæ promulgationem idem ipsis iustissimo titulo ius acquisitum fuerit, & Austriacæ familiæ columen Rudolpus I. à Ludouico Seuero Duce Bauariæ & Septemuiro electus, ab Sigfrido Coloniensi Archiepiscopo fuerit coronatus. Adolphus successor ab eodem. Lotharius Saxo ab Friderico. On-

Adiutorium nostrum in nomine Domini.
Qui fecit cœlum & terram.
Sit nomen Domini benedictum.
Ex hoc nunc & vsque in seculum.
Consecrator.

Initium Consecrationis per Moguntinum.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui famulum tuum FERDINANDVM *Regni fastigio dignatus es sublimare, tribue ei quæsumus, vt in præsentis seculi cursu, cunctorum in communi salutem disponat, quatenus à tuo veritatis tramite non recedat. Per Dominum nostrum &c.*

Oratione hac absolutâ Consecrator cum assistentibus ad altare cruce, pedo Pastorali, Regijsque sigillis prælatis progreditur, alijsque suprà memoratis. Coloniensis, & Treuerensis septemuiri suscipentes M.tem S.am præambulantibus tribus absentium Electorum Procuratoribus, & insignia Imperij manu gerentibus, hoc ferè ordine ad altare deducunt, vt medium Regem cingerent gemini Electores, attalica veste aurea, & Electorali amicimine coruscantem. Chorus intereà ac musicales phonasci concentu suauissimo cecinerunt, Responsorium hoc.

Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat semper. Obserua & audi vocem meam, & inimicus ero inimicis tuis, & affligentes te affligam, & præcedet te Angelus meus. Vers. *Israel si me audieris non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Ego enim Dominus. Obserua & audi,* &c.

Cumque Regem Electores ambo ad altare deduxissent, paulisper ibidem, quoad preces aliquas fudisset Rex, cunctabantur, & Procuratores absentium Imperij Regalia hæreditarijs & natis Principum suorum Electorum Mareschallis tradiderunt nomine Palatini, Illustri Baroni Friderico à Walburg/Truckseßio Dapifero hereditario orbem seu globum Imperialem: nomine Saxonis, Illustri Baroni Maximiliano à Pappenheim Mareschallo hæreditario exsertum gladium, & nomine Brandenburgici generosissimo Comiti Ioanni Georgio in Hohenzollern/ &c. hæreditario Camerario sceptrum; Dein vero in præparatas priusquam exedras nigroque holoserico coopertas, Electores ascenderent, Regem tali oratione sanctificauit Consecrator.

Mareschalli hæreditarij.

Vers. *Domine saluum fac Regem.*
Resp. *Et exaudi nos in die, quâ inuocauerimus te.*

Oremus.

Deus qui scis genus humanum nullâ virtute posse subsistere, concede propitius, vt famulus tuus FERDINANDVS *quem populo tuo voluisti*

præferri, ita tuo fulciatur adiutorio, quatenus quibus potuerit præesse, valeat & prodesse. Per Christum Dominum nostrum. Resp. *Amen.*

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, cælestium terrestriumq́ moderator, qui famulum tuum Ferdinandum ad Regni fastigium dignatus es prouehere, concede quæsumus, vt à cunctis aduersitatibus liberatus, ad æternæ pacis gaudia peruenire, te donante, mereatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit, & regnat, &c. Resp. *Amen.*

Consessus Electorum, Principum, & Legatorum, &c. Et continuò Ecclesiastici Electores, cum Illustribus Regalium gerulis abducto inde Rege, ad sedem precatoriam reducant, quæ cultu insigni & peristromatis aureis superextenso conopæo exornata erat, pone quam duorum Electorum exedræ duæ Treuerensis & Coloniensis, quam ambo occuparunt, stantibus Regi digmatum Imperialium portitoribus. Vtriusque Principis sessionem, aliæ sellæ geminæ exceperunt Illustrissimi Nuncij Apostolici, & Oratoris Regis Hispaniarum, quas illi insederunt, mox Comitum prouincialium statio excepit, & vrbium Imperialium, Coloniensis, Aquisgranensis, Francofurtensis, & Norimbergensis Legati.

Missa de Spiritu sancto. Decantato Responsorio. *Ecce ego mitto Angelum.* Consecrator exuto pluuiali sumpsit casulam, descenditque ad infimum altaris gradum, sacrificium Missæ solemne exordiens, *De Spiritu sancto*, quod Musici suauissimâ harmoniâ, tubicines verò, numeroso clangore regaliter planè modulabantur. Cõsecratore collectam de Spiritu sancto hanc adjiciente pro Rege in sede ad genua procumbente.

Quæsumus omnipotens Deus, vt famulus tuus Ferdinandus Rex noster, qui tuâ miseratione suscepit regni gubernacula; virtutum etiam omnium percipiat incrementum, quibus decenter ornatus, & vitiorum monstra deuitare, & ad te, qui via, veritas & vita es gloriosus valeat peruenire. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Resp. *Amen.*

Decursâ Epistola, Graduali, ac Sequentia de Spiritu sancto, Consecrator resumptis mitra ac pedo, illam capite, hoc manu vsque ad Euangelij lectionem tenens, ad Regem faciem conuertit, quem duo Electores Ecclesiastici medium adusque pedem altaris, prælatis Regalibus, per hæreditarios Officiales deduxerunt, vbi versus Aquilonem magis, quo loco Euangelium cantari solet, sese pronum Rex prostrauit humi, & Consecrator quoque mitratus, sedi Episcopali ad aram positæ, quam Faldistorium vocant, genuflexus

Litania pro salute Regis incubuit, ac Litaniam generalem recitauit, ministrantibus ipsi respondentibus, cumque ad illum locum peruenisset, vbi in Litania pro salute Regis Deus oratur, Consecrator erexit sese, & pedum sinistrâ tenens ad cernuum Regem conuersus, sic precatur.

Vt

Vt hunc famulum tuum Ferdinandum in Regem rite electum ✠ benedicere digneris.
Resp. Te rogamus audi nos.
Dein.
Vt eam sublimare & ✠ consecrare digneris.
Resp. Te rogamus audi nos.
Vt eum ad Regni & Imperij fastigium feliciter perducere digneris.
Tertio.
Resp. Te rogamus audi nos.

Quo dicto Consecrator ad accubitum, resignato pedo rediit. Residuum vero Litaniæ assistentes absoluerunt.

Porrò Rex & Electores cum cæteris in preces effusis sese confestim in pedes erexerunt, Consecrator vero ad Regem mitratus ac cum pedo se vertit, & eiusmodi quæsitis responsum ab eodem expetiuit.

Vis fidem Sanctam, Catholicam, & Apostolicam tenere, & operibus iustis seruare. Res. *Volo. Vis sanctis Ecclesijs, Ecclesiarumque ministris fidelis esse tutor ac defensor.* Res. *Volo. Vis Regnum à Deo tibi concessum secundum iustitiam prædecessorum tuorum regere, & efficaciter defendere.* Res. *Volo. Vis iura Regni & Imperij bona eiusdem iniustè dispersa recuperare, & conseruare. & fideliter in Regni vsus & Imperij dispensare.* Res. *Volo.*

Vis pauperum & diuitum, viduarum & pupillorum æquus esse Iudex & pius defensor. Res. *Volo.*

Vis Sanctissimo in Christo Patri, & Domino Romano Pontifici & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, subiectionem debitam & fidem reuerenter exhibere. Res. *Volo.*

His ita præmissis crepidini altaris propinquior factus iuramentum præstitit, ac duobus digitis primoribus dexteræ manus altari atque Euangelio impositis, hoc modo locutus est. *Iuramentũ Regis.*

Omnia præmissa, in quantum diuino fultus fuero adiutorio, fideliter adimplebo: Sic me Deus adiuuet, & Sancta eius Euangelia.

Consecrator autem rursum ad Principes Electores, Duces, Comites, Nobiles clerum populumque circumstantes conuersus quęrit, hac formula.

Vultis tali Principi & Rectori vos subijcere, ipsius regnum firmare, fide stabilire, atq; iussionibus ipsius obtemperare, iuxta Apostolum: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, siue Regi tanquam præcellenti. *Obedientia in Regem Electum exigitur.*

Cui quæstioni posteaquam Principes Electores, Clerus populusque ter respondissent.

Fiat, Fiat, Fiat.

Regiam Ma.^tem^ ad sedem precatoriam deduxerunt, cumque in genua procubuisset, Consecrator hisce solemnibus conceptisque verbis ei benedixit.

Benedic-

Benedictio Regis concepta verbis fit per Consecratorem.

Benedic, Domine, hunc Regem nostrum Ferdinandum, qui regna omnia moderaris à seculo, & tali eum benedictione glorifica, vt Dauidica teneat sublimitatis sceptrum, & glorificatus in eius protinus reperiatur merito: Da ei, tuo inspiramine, cum mansuetudine, ita regere populum, sicut Salomonem fecisti regnum obtinere pacificum: Tibi semper sit cum honore subditus, tibique militet cum quiete, sit tuo Clypeo protectus cum Proceribus, & vbique gratia tua victor existat: Honorifica eum præ cunctis Regibus gentium, felix populis dominetur, & feliciter eum nationes adorent. Viuat inter gentium cateruas magnanimus, sit in iudicijs æquitatis singularis, locupletet eum tua prædiues dextera, frugiferam obtineat patriam, & eius liberis tribuas profutura, Præterea & prolixitatem vitæ. Per tempora & in diebus eius oriatur iustitia, à te robustum, teneat regiminis solum, & cum Iustitia & iucunditate æterno glorietur regno.

ALIA.

Deus ineffabilis auctor mundi, conditor generis humani, gubernator Imperij, confirmator regni, qui ex vtero fidelis amici tui Patriarchæ nostri Abrahæ præelegisti Reges singulis profuturos, tu præsentem Regem hunc Ferdinandũ *cum exercitu suo per intercessionem omnium Sanctorum, vberi benedictione locupleta, & in solium regni firma stabilitate connecte: visita eum sicuti Moysen in mari rubro, Iesuam in prælio, Gedeonem in agro, Samuelem in templo, & eum illa benedictione siderea, ac sapientiæ rore perfunde, quam Beatus Dauid Psalterio, & Salomon filius Te remunerante percepit è cælo. Sis ei contra acies inimicorum lorica, in aduersis galea, in prosperis patientia in protectione clypeus sempiternus: & præterea, vt gentes illi teneant fidem, proceres sui habeant pacem, diligat caritatem, abstineat à cupiditate, loquatur iustitiam, custodiat veritatem, & ita populus iste sub eius imperio pullulet, ita alitus benedictione æternitatis, vt semper maneant tripudiantes, & in pace victores. Quod ipse præstare dignetur, qui viuit & regnat Deus in secula seculorum. Amen.*

Vnctio discincti Regis, oleo catechumenorũ.

Deinde Consecrator, Rege supplice rursum erecto, discinctoque ad vnctionem, Caput, pectus inter scapulas & brachium dexterum, inter manus & cubili iuncturam seu vertebram oleo Catechumenorum per modum crucis inunxit, dicens:

Pax tibi.

Resp. Et cum spiritu tuo.

Vngo te in Regem de oleo Sanctificato: In nomine ✠ Patris & Fi✠lij, & Spiritus ✠. Sancti. Amen.

Interea cantauit chorus.

Vnxerunt Salomonem Sadoc Sacerdos & Nathan Propheta in Gihon, & ambulantes læti dixerunt: viuat Rex in æternum. Alleluia.

Mox ad consecrationem vtriusque palmæ, conuersus sic precatur.

Vngantur manus istæ de oleo sanctificato, vnde vncti fuerunt Reges & Prophetæ, & sicut vnxit Samuel Dauid in Regem vt sis benedictus & constitutus Rex in regno isto super

per populum istum, quem Dominus Deus tuus dederit tibi ad regendum & gubernandum: Quod ipse præstare dignetur, qui viuit & regnat Deus in secula seculorum, Resp. *Amen.*

Postmodum Chorus subsumpsit.

Vnxit te Deus, &c.

Atque adeò vnctionibus rite peractis, assistentes lanâ candidissima Regem abstergunt, in illis partibus corporis, quas Consecrator inunxerat, quem mox duo Electores ab vtroque latere in Sacrarium per Chorum deducunt, præeuntibus insignium Regalium gerulis, vbi alba stolaque ad modum crucis in pectore, Caroli Magni manto, seu mantello fibulá bulláque aureâ in pectore concluso, item Imperatorio paludamento, & præsertim ocreis, à Norimbergensibus Francofurtum allatis induitur, & pro Choro ad suam sedem reducitur, vbi Consecrator dicit. *Abstersio vnctarum partium corporis. Induitur Regalibus notis Cæsarum.*

Aspice omnipotens Deus serenis obtutibus hunc gloriosum Regem FERDINANDVM, *& sicut benedixisti Abraham, Isaac, & Iacob, sic illum largis benedictionibus spiritualis gratiæ cum omni plenitudine tua potentiæ irrigare atque perfundere digneris: Tribue ei de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, olei, & omnium frugum opulentiam, ex largitate diuini muneris longa per tempora, vt illo regnante sit sanitas corporum in patria & pax inuiolata in regno, & dignitas gloriosa regalis palatij maximo regiæ potestatis oculis omnium fulgeat, luce clarissimâ clarescat, atque splendore, quasi splendidissimo fulgure, maximo perfusa lumine videatur. Tribue ei omnipotens Deus, vt sit fortissimus protector patriæ consolator Ecclesiarum atque cœnobiorum sanctorum maxima cum pietate Regalis munificentiæ: atque vt sit fortissimus Regum, triumphator hostium, ad opprimendas rebelles & paganas nationes, sitq; suis inimicis satis terribilis, præ maximâ fortitudine Regalis potentiæ, optimatibus quoque atque præcelsis. Proceribus ac felicibus sui regni sit magnificus, & amabilis, & pius, vt ab omnibus timeatur atque diligatur: Reges quoque de lumbis eius, per successores temporum futurorum egrediantur, regnumq; hoc valeat regere totum, & post gloriosa tempora, atque felicia præsentis vitæ gaudia æterna in æternâ beatitudine habere mereatur. Quod ipse præstare dignetur, qui viuit, & regnat cum Deo Patre, & Spiritu sancto, per omnia secula seculorum.* Resp. *Amen.*

Oremus,

Spiritus sancti gratia humilitatis nostræ officio, in te copiosa descendat, vt sicut manibus nostris indignus oleo materiali delibutus pinguescit exterius: ita eius inuisibili vnguento delibutus impinguari merearis interius; eiusq; spirituali vnctione perfectissimè semper imbutus, illicita declinare tota mente, & spernere discas, seu valeas, & vtilia animæ tuæ iugiter cogitare, optare, atque operari queas: auxiliante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo Patre & eodem Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

O Deus,

Deus, qui es iustorum gloria, & misericordia peccatorum, qui misisti filium tuum pretiosissimo sanguine suo genus humanum redimere, qui conteris bella, & propugnator es in te sperantium, & sub cuius arbitrio omnium regnorum continetur potestas, te humiliter deprecamur, vt præsentem famulum tuum Ferdinandum in tua misericordia confidentem benedicas, eiq; propitius adesse digneris, & qui tua expetit benedictione defendi, omnibus sit hostibus fortior, fac eum Domine beatum esse, & victorem de inimicis suis: corona eum corona iustitiæ & pietatis, vt ex toto corde & tota mente in te credens tibi deseruiat, sanctamq; tuam Ecclesiam defendat, & sublimet, populumq; à te sibi commissum iustè regat, nullis insidiantibus malis eum in iniustitiam vertat. Accende Domine cor eius ad amorem gratiæ tuæ, per hoc vnctionis oleum, vnde vnxisti Sacerdotes, Reges, & Prophetas, quatenus iustitiam diligens, per tramitem iustitiæ populum similiter ducens, post peracta à te disposita in Regali excellentia, annorum curricula, peruenire ad gaudia æterna mereatur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus.

Præfacio. *Per omnia secula seculorum.* Resp. *Amen. Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum Spiritu tuo. Sursum corda.* Resp. *Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro.* Resp. *Dignum & iustum est. Verè dignum & iustum est, æquum & salutare. Nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Creator omnium, Imperator Angelorum, regnantium Rex, Dominus Dominantium, qui Abraham famulum tuum ab hostibus triumphare fecisti, Moysi & Iosue populo prælatis multiplicem victoriam tribuisti, humilemq; Dauid puerum tuum regni fastigio sublimasti, & Salomonem sapientiæ pacis munere ditasti: Respice quæsumus ad preces humilitatis nostræ, & semper hunc famulum tuum Ferdinandum, quem supplici deuotione in Regem elegimus, Benedi✠ctionum tuarum donis multiplica, eumq; dextera tua potentiæ semper & vbique circumda. Quatenus prædicti Abrahæ fide fideliter firmatus, Moysis mansuetudine fretus, Iosue fortitudine munitus, Dauid humilitate exaltatus, Salomonis sapientia decoratus, tibi in omnibus placeat, & per tramitem iustitiæ semper incedat, Ecclesiam tuam deinceps cum plebibus sibi annexis ita tueatur & defendat, vt populorum debita subiectione fultus, cum digno amore glorificatus, ad Regium decenter solium tua miseratione conscendere mereatur. Tua quoque protectionis galea munitus, & scuto insuperabili iugiter protectus, armisq; cælestibus circumdatus, optabilis victoriæ triumphum feliciter capiat, terrorem suæ potentiæ infidelibus inferat, & pacem tibi militantibus lætanter reportet. Per Dominum nostrum, qui virtute sanctæ Crucis tartara destruxit, regnoq; diaboli superato, victor ad cælos ascendit, in quo potestas Regum omnis consistit, & victoria, qui est gloria humilium, & vita salusq; populorum.*

Tantum est de præfatione, quæ sequuntur canora & eleuata voce Consecrator enuntiauit.

Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, Per omnia secula seculorum. Resp. *Amen.*

Ore-

Oremus.

Deus Dei Filius, Iesus Christus Dominus, qui à Patre oleo exultationis vnctus est, præ participibus suis, ipse per præsentem sacræ vnctionis infusionem sancti Spiritus paracleti super caput tuum infundat Bened ✠ ictionem, eandemq́; vsque ad interiora cordis tui penetrare faciat: quatenus hoc visibili & tractabili dono inuisibilia percipere, & temporali regno iustis moderaminibus executo, æternaliter cum eo regnare merearis. Qui solus sine peccato Regum Rex viuit, & regnat, & gloriatur cum Deo Patre in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus. Per omnia secula seculorum. Resp. *Amen.*

Electorum absentium interea Procuratores Regalium geruli, Insignia illa loca loco altaris sinistro deposuere, quæ recitatis omnibus benedictionibus Regi tradiderunt. Treuerensis & Coloniensis acceptum ex altari gladium, acinaci Persico non absimilem, & olim à Carolo Magno gestatum, vt diximus, in manum dexteram districtum præbuere, cum corona sceptroque ibidem collocatum, vti retulimus, quam traditionem hac benedictionis formula prosecutus Consecrator fuit. *Traditur ei gladius districtus Caroli Magni & benedicitur.*

Accipe gladium, per manus Episcoporum, licet indignas, vice tamen & auctoritate Sanctorum Apostolorum consecratas tibi regaliter impositum, nostræ ✠ Benedictionis officio in defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ, diuinitus ordinatum; & esto memor de quo Psalmista prophetauit dicens.

Hic sumptum de manu gladium in vaginam recondidere Electorum secularium Procuratores, illoque Regiam M.tem nomine Principum suorum accinxerunt, pergente Consecratore. *Accingitur gladio.*

Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, vt in hoc per eundem vim æquitatis exerceas, iniquitatis molem potenter destruas, & sanctam Dei Ecclesiam, eiusq́; fideles propugnes, ac protegas, nec minus sub fide falsos, quam Christiani nominis hostes execreris, ac destruas, viduas, ac pupillos clementer adiuues, ac defendas, desolata restaures, restaurata conserues, vlciscaris iniusta, confirmes bene disposita, quatenus hæc agendo, virtutum triumpho gloriosus, iustitiaq́; cultor egregius, cum mundi Saluatore, cuius typum geris in nomine, sine fine merearis regnare, Qui cum Deo Patre & sancto Spiritu viuit & regnat Deus in secula seculorum. Resp. *Amen.*

Latere Regis accincto, insuper Consecrator illum Caroli Magni pallio, quod pluuiali conforme est, amicit, & cum eo duo Ecclesiastici Electores, item armillas annulumque Regium, quem Consecratori Diaconus præbebat illius digito accommodauit, hæcque concepta verba clarè elocutus est, quibus & significatio dignitatum continetur. *Amicitur pallio Caroli Magni pluuiali, non absimili, ita̋ antur armilla, annulus regius, &c.*

Accipe regiæ dignitatis annulum, & per hunc Catholicæ fidei cognosce signaculum, & vt hodie ordinaris caput, & Princeps Regni & Populi, ita perseuerabilis auctor & stabiliter Christianitatis & Christianæ fidei fias, vt felix in opere cum Rege

penheim gestandum resignauit. Sceptrum autem & pomum Imperiale ab astantibus Nuncijs repetijt Imperator, & in schemate Cæsareo cum sceptro Globoque ad altare à duobus Electoribus, Treuerensi & Coloniensi deductus, impositis altari duobus primoribus digitis Sacrosanctum iuramentum formatis hisce verbis religiosissime edidit. *Iuramentum solemne in habitu Cæsareo cum Regalibus.*

Profiteor & promitto coram Deo, & Angelis eius, amodo & deinceps legem, & iustitiam pacemque sanctæ Dei Ecclesiæ seruare, populoque mihi subiecto prodesse, & iustitiam facere, & conseruare iura regni saluo condigno diuinæ misericordiæ respectu, sicut cum consilio Principum, & fidelium regni atque meorum melius inuenire potero, Sanctissimo Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ, cæterisque Pontificibus, & Ecclesijs Dei condignum & canonicum honorem volo exhibere, ea etiam, quæ ab Imperatoribus, & Regibus Ecclesiæ seu Ecclesiasticis viris collata sunt, & erogata inuiolabiliter ipsis conseruabo, & faciam conseruari, Abbatibus, & ordinibus, & vasallis regni honorem congruum volo præstare & exhibere, Domino nostro Iesu Christo mihi præstante auxilium fortitudinem & decorem.

Præstito iuramento Regalia legatis rursum restituit, & à Treuerensi & Coloniensi Electoribus, ad sedem precatoriam ante altare Sanctæ crucis positam deductus fuit. Coronationem feliciter peractam ingenti Clangore Tubicines, Choragi, ac Musicales suauissima harmonia excepere, æra quoque campana in omnibus templis ac basilicis compulsata, tormenta bellica fistulæque æneæ in mænibus exonerata gratulationem plausumque solemnissimum concitarunt, atque ita actus coronationis ante decantatum Euangelium perfectus est. Consecrator autem in Sacrificio progressus diacono ad cantandum Euangelium benedixit, quod ipse legit ac Symbolum Nicænum subiecit. Cumque offertorium esset auspicatus, Legales Nuncij absentium Electorum ad Regem adeuntes sceptrum, pomumque Imperiale illi tradiderunt, ac coronam vertici imponentes, Coloniensis Treuerensis Electores ad offertorium ita coronatum deduxerunt. Quo facto ad sedem oratoriam est regressus, Consecratore hanc secretam collectam dicente pro eodem. *Coronatio ante cantatum Euangelium absoluta.* *Oblatio Regis coronati in Schemate Cæsareo.*

Concede, quæsumus omnipotens Deus, his salutaribus sacrificijs placatus, quatenus famulus tuus FERDINANDVS *ad peragendum regalis dignitatis officium inueniatur semper idoneus, & cælesti patriæ reddatur acceptus.* Per & cætera.

Priusquam vero eleuaretur sacratissima Eucharistia, Coloniensis Elector Suam Regiam Maiestatem accedens coronam auream ex capite eius deposuit, ac retinuit donec corpori Dominico de manu Consecratoris deuotissime communicasset, & ex calice eiusdem ablolutionem sumpsisset, *Sub Eleuatione deposita Corona.*

& quanto Clerum Sacris altaribus propinquiorem respicis, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris: Quatenus Mediator Dei ac hominum te mediatorem Cleri & plebis in hoc regni solio confirmare, & in regno aeterno secum regnare faciat Iesus Christus, Dominus noster, Rex Regum & Dominus dominantium: Qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in secula seculorum. Resp. *Amen.*

Post peractam autem feliciter consecrationem, & Missam de Spiritu Sancto, ingenti sonitu adstrepuere tubicines lætum pæana cantantes, & Musicales modulatis vocibus gratulati sunt Sacræ Cæsareæ Maiestati de acceptis adeo pacificè S. R. I infulis ac habenis, quas iam multo ante æmuli abrogarant: & præsertim canticum Ecclesiæ gaudiosum SS. Ambrosij & Augustini contentissima harmonia alternatim accinuere. Quod cum complessent, Consecrator Regem in auro throno considentem salutans, nomine suo aliorumque Coelectorum feliciter aditam regni Romanorum possessionem & felix faustumque Imperatoriæ potestatis auspicium comprecatus, vniuersum Romanum Imperium, Electores Principes, & cuiusuis ordinis status, subditus de meliore nota commendauit. Denique inde pedem cum sua comitiua referens ad altare S. Crucis descendit. Rex vero Ferdinandus in solio testudine textili aurea supernè circumducto persistens, perplures Illustres viros ac Nobiles, euaginato Caroli Magni gladio percussos auratos Equites creauit, quorum duodecim numerantur: Nam quatuor Comites, Carolum Ludouicum Comitem in Sultz & cætera. Egonem Comitem in Furstenberg/ & Heiligenbergh/ Carolum Comitem in Manderscheid/ D. in Gerolstein/ Ioannem Comitem in Erbach. Duos Barones. Vnum Morauum, Nacho ductum equitum M. cum potestate præfectum, & alterum Bohemum. Equestris ordinis viros sex, Ioannem à Gertzen/ Dominum in Sinzigh/ Colonellum Agrippinatum: Franciscum Aldobrandinum Florent. Italum, Ioannem Philippum Kratz à Scharffenstein/ Præfectum equitum Moguntinensium: à Rottenstein / Moguntinum Marescallum, von der Ley / Capitaneum: à Schrotenbach / Darmstadiensis Principis nobilem aulicum: hoc ferè ritu. Ex pauimento nauis Basilicæ per tres gradus ad theatrum, in quo Cæsarea Maiestas paludata in solio regali considebat, creandus ascendit, & in primo passu genua flectit, mox nonnihil progressus secundò; ac tandem vicinior Regi tertiò, vbi illico in genua procumbens, ter in dextero humero eodem gladio percutitur, ac conceptis verbis ad fortitudinem animi aduersus S. R. Imperij & Ecclesiæ hostes induendam excitatur. Qui à tabulato sese attollens in pedes, rursum tertiò genu flectit in prio-

Canitur TE DEUM LAUDAMUS.

Creat auratos equites Cæsar: quinam illi & quot.

Ritus creandorum equitum.

prioribus vestigijs retrogrediendo, vultu tamen semper in Cæsarem conuerso, nunquam dorso, quoad pegmate descenderit. Hic ritus in omnibus hisce Illustribus viris obseruatus est. Cæsar autem tradito gladio Imperij Marescallo à Pappenheim ex theatro digrediens, ad sedem suam pro altari S. Crucis humi collocatam reductus fuit. Tum Consecrator cum duobus Electoribus Coloniensi, ac Treuerensi ac Ministrantum, Heroumque ac Magnatum corona in Chorum, & sacrarium secedunt, positisque Pontificalibus ornamentis, poderes seu togas Electorum prætextatas induti, ad Regiam suam Ma.tem ibidem cum Nuncijs Electorum absentium consistentes, regrediuntur.

Positis Pontificalibus Elect. habitum resumunt.

Quos è vestigio gemini Canonici ex Cæsareo Aquisgranensi Collegio subsecuti, Schemate Canonicali ac niueis superpelliciis exterius cooperti, librum vterque antiquitate venerabilem ac preciosum gestauere, vnum holoserico, alterum simpliciore in volucro cinctum, ex quibus tum formulam receptionis Canonicalis, tum Euangelii verba legit Imperator, ac hisce deosculatis de more vetusto illius Capituli Canonicis est insertus. Dixi superius vnum codicem esse Euangeliorum Caroli Magni, quem ex betulæ arboris corticibus ferunt, formatum inscriptumque. Receptum quoque est, vt reliquias & sanguinem S. Stephani Protomartyris adferant, super quo Rex Romanorum solemne suum iuramentum Capitulo illi præstare consueuit. De quo ritu in coronatione Romana fieri solito, quiuis poterit, in eiusdem descriptione legere perplura, quia Romæ Canonicus S. Petri fit, vti Aquisgrani B. Mariæ Virginis. Maioris Ecclesiæ Beati Petri Coloniæ, etiam diuersos Cæsares Canonicos factos certum est, qui ibidem sunt coronati, & post coronationem Maximiliani I. id factum esse probant historiæ, cùm Aquisgrano Coloniam illa peracta rediens ad aureas tumbas trium Regum salutandas Canonicus in Choro B. Petri est effectus. Neque adeò à vero exerrare puto aliquos, qui ex institutione Henrici sancti Ducis Bauariæ & Romani Imperatoris Cæsarem quoque olim factum fuisse Canonicum Ecclesiæ Bambergensis asserant, in quam singulari prærogatiua omnium Ecclesiarum Imperio subiectarum decora transferri, splendoremque traduci voluit. Forsan inde mos ille profluxit olim etiam nunc frequentari solitus, vt recens creati Cæsares indulto Pontificio preces primarias in omnibus Cathedralibus & Collegiatis habeant, quæ Cæsareæ dicuntur, super primis vacaturis præbendis, quod eiusmodi Ordini Ecclesiastico in coronationibus Imperatores inserantur. Vt docent Ic.ti

Cæsar fit Canonicus Aquisgranensis.

Super sanguinem S. Stephani iuramentum Capitulo facit.

Rom. Canonicus S. Petri.

Item Ecclesiæ Bambergensis, vt aliqui volunt.

Preces primariæ & Imperiales.

Omnibus illis ritè peractis occlusæ Basilicæ valuæ reseratæ sunt, ac Spectator populus emissus, vt hanc pompam Cæsar, Electores Principes, Legati, Nobiles, &c. non interruptè seruare possent, quippe quibus tum ad regale epulum

Pompa egredientis Cæsaris extra Basilicam.

epulum abeundum erat. Itaque in primo agmine aulici fuēre, quos à tergo Comites, Barones, Nobiles pressēre, quos AEneatores ac ahenotympanistæ numerosi insecuti sunt, ac magnificentissimè insonuerunt; Mox Comites Prouinciales duo Ludouicus & Philippus III.^mi^ Principes cum duobus filiis processerunt: subierunt Heroldi quinque seu Caduceatores Regij. Pone quos Elector Treuerensis solus incessit, podere, almutio, pileoque Electoralibus insignis, dein Procuratores absentium Electorum duo, Palatini & Brandeburgici, hic cum sceptro, ille cum pomo Imperiali, pòst Saxonis Legatus solus coruscantem gladium præferens, ambularunt. Horum vestigiis ipse Ferdinandus II. Romanorum Rex & Imperator Electus semper Augustus institit, corona Regali redimitus, ac purpura Imperatoria Caroli Magni, adinstar pluuialis Pontificalis, alijsque vestibus excultus, quæ Norimberga Senatus Noricus ad coronationem de mandato Electorum solet trāsmittere, sub baldachino, seu conopæo pensili, ab sex patricijs Francofurtensibus deportato. Ioanne Philippo Weiß à Limburg. Hieronymo Steffan/Ioanne Sephanoschad, Ioanne Philippo Orth, Senatorij ordinis viris. Regem secuti sunt, Moguntinus & Coloniensis Electores in schemate Electorali cum insigni Ecclesiasticorum Nobiliumque corona. Hos equites aliquot Bandillirij excepere, quos in equis sublimes antecessere per pontem ligneum coccineo panno instratum monetæ regiæ distributores, & in populum astantem suspensumque sparsere. Erat autem moneta illa aurea atque argentea, altera paris magnitudinis cum quarta parte daleri Imperalis, pertenui tamen lamina; & instar cruciferi vulgaris altera. Prior ex auro argentoque in aduersa facie hanc habuit inscriptionem. F E R D I N A N D V S II. H V N G A R I A E: E T B O H E M I A E R E X: C O R O N A T V S I N R E G E M R O M A N O R V M. IX. S E P T. M. DCXIX. quam circulus ex margaritis continguis in margine dispositis coercebat: in facie auersa, dextera manus ex nube protensa ac manicata ad cubitum vsque, quam erratica bractea ambiebat, hoc Symbolo litterata. L E G I T I M E C E R T A N T I B V S. sustinens auream coronam duodecim radijs circiter coruscam, oras extimas circulus laureus claudebat. Posterior itidem ex auro argentoque nummus ductus cususque in aduersæ parte coronam Imperatoriam, insulæ Poncificali conformem gerens, cruce in apice bullata insignem, cum digammate seu initiali charactere Catholici nominis, F E R D I N A N D I, suppositis numeralibus Notis veterum Latinorum II. quod digamma vtrimque obsidebat gestamen aurei velleris. Qui enim in illum ordinem cooptantur torquem aureum ex quo exuuiæ aureæ accipere solent, vnde ista duo rami oliuæ ac palmæ decussatim impositi procurrunt ad dexteram sini-

Pons sublicius coccineo instratus.

Nummi sparsi in coronatione. Cum symbolis & inscriptione.

 stram-

ſtramque inuictiſſimi atque pacatiſſimi Cæſaris Imperialis præſagi: circulo gemmato facies illa claudebatur. In altera parte corona itidem aurea ſupernè, cui ſubijcitur hæc inſcriptio. CORONATVS IN REGEM ROMANORVM IX. SEPT. 1619. Hæc de nummis.

Pannus rapitur minutatim. Pannus vero ruber ſeu coccineus, quo pontem illum ſublicium inſtratum diximus, quam primum equites tranſierāt à populo irruente illico refectus, & quia iuris communis ab obuijs indiſcriminatim in fruſta comminutus fuit, vt poſtremi vix firmo veſtigio poſſēt inſiſtere, & claudēs agmen eques, præ importunitate trahentium euerſus cum equo fuerit, & humo afflictus.

Apparatus epuli Regij, & ſeſſionum Electoralia. Interea menſæ abacique in ampliſſima aula Curiæ Romanæ, precioſiſſimis vaſis ac ſupellectilibus inſtruuntur, Regis videlicet & Electorum præſentium, non verò Nunciorum abſentium Electorum, quæ perinde holoſerico rubro coopertæ erant, & penſili teſtudine supernè, vti cæteræ intectæ, verum edulijs ferculiſque nullis adornatæ, eò quod ipſimet in perſona Electores ſeculares ſe non ſtitiſſent. Huius conditionis erat quoque menſa Regis Bohemiæ, quæ vacabat, etſi adeſſet, quòd iam tum in Regem Romanorum concordi ſuffragatione electus eſſet, à dextris proximè menſam Regiam Moguntini, dein Regis Bohemiæ, tertio Comitis Palatini: à ſiniſtris Electoris Colonienſis, Ducis Saxoniæ, Marchionis Brandenburgici. In medio verò ex aduerſo menſæ regiæ, Electoris Treuerenſis poſita erat. Menſa Regis Romanorum quinque gradibus, ſeu ſex pedibus ſublimior pauimento palatij fuit, reliquiſq; Principum menſis ex præſcripto Bullæ aureæ quatuor. Electores verò vno gradu eleuatas menſas habuere. Ill.^mi Principes Haſſiæ Ludouicus, & Philippus cum filijs duobus eadem in aula peculiari menſæ accubuere, cum quibus & cæteræ perſonæ illuſtres. Quæ omnia cum ſolerti induſtria pararentur, & ſolicito labore perfecta eſſent. Sua Cæſarea M.^tas cum Electoribus Principibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, ac domeſticis aulicis in cœnaculum Curiæ ampliſſimum aſcenderunt, & ante accubitum præmiſerunt Electores, quæ ad officium cuiuſque ſpectarent exequendum. Nam primo Saxoni Electori incumbit, auenam ingentis acerui accumulatam pro Curia modio argenteo menſurare, & virga argentea, ſeu radio, menſuram in orificio adæquare. qui cùm non adeſſet, Maximilianus à Pappenheim minor, Mareſchallus Imperij eius vices ſuppleuit, & derepente ex cœnaculo deſcendens, equum aſcendit, quem anteambulones tubicines atque ahenotympaniſtæ, clangore militari proſecuti ſunt. Is verò adigens vſque ad pectus equum in cumulum auenaceum, modium impleuit, & radio complanauit, S. Cæſ.^a Maieſtate ſpectante, cum reliquis Septemuiris Principibus, rurſumque ad curiale palatium euadens

Aceruus auenæ dimiditur, per Mareſchallum Pappenheim

dens

dens ordini suo sese restituit. Quem abeuntem Aeneatores pariter tubarum consonantia exceperunt. Populus vero in auenam irruens, saccos, manticas, sacciperia, corbes aliaque receptacula impleuit, & iurgando iaciendoque illam adeo dissipauit, vt potior pars proculcata, perdita, per diuersos vicos plateasque infructuosè dispersa fuerit. Vbi lepido spectaculo cuiusdam mulierculæ exhilarati omnes, quam arreptam cumulo auenareo iniecerunt, quasi siccis illam vndis ac paleis vellent præfocare, quæ suspicata mortē sibi imminere, clamore, eiulatu, manuum cōplosione ac luctu salutem ac vitam deprecabatur, donec exhausto corbibus cribrisque aceruo isto auenaceo hęc de securitate lætaretur, nec tamen ab armis muliebribus multum querula, cōfusaq́, lacrymando conuitiādo, diras dæmonesq́; euomendo, abstineret.

Hunc Ill.^mus Comes Ioannes Georgius ab Hohenzolleren, altus equo excepit, vt minor imperij Marescallus Electoris Brandenburgici, & tabernæ adequitans in medio fori, culinæ vbi taurus torrebatur contiguæ, ex mensa in medio eiusdem posita, pollubrum argenteum cum gutturnio seu capeduncula inauratum, & mantile in se sustulit, & clangentibus tubis vsque in palatium ex officio adportauit, vt aquam abluendis Cæsareis manibus affunderet. *Pollubrum argenteum cum mantili adfert Brandenb. Camerar. Hohenzollern.*

Hunc Electoris Palatini Vicarius, videlicet, Ill.^mus Fridericus Baro à VValburg, vtpote minor & ipse Marescallus Imperij secutus, eques quoque ligneam culinam clangentibus æneatoribus intrauit, sublatisq; aliquot argenteis quatuor patinis, in quibus & frustum tosti bouis, ad curiam redijt, & regiæ mensæ apposuit. Omnia verò præfata cum equis minoribus Archimarescallis, modius Pappenheimio, pollubrum Hohenzollerano, patinæ Truchsesio pro donatiuo cedunt. Plebei verò & imperitum vulgus, posteaquam Electores seculares officium suum Cæsari detulissent, impotenti furia culinam, ex tignis asseribusque compaginatam incursant, in qua taurus integer assabatur, pro se quisq; frustum domum deferre. Ex quibus cum vnus esurialem toto die feriam, & forsan pridie egitasset, toruo vultu, validisq; lacertis & manuum apprehensione certis, in bouem tostum insilijsset, armum vnum securis beneficio detraxit, & quasi triumphans ex turba eluctatur, non adeo diu tosto spolio gauisus. Occurrit alius videns ingens frustum, partem sibi expansis manibus vendilare contendebat, & ille ira percitus, ac intemperijs actus, in ictum tosto bouis armo reducto, caput humerosque inuadentis non molliter inungit, pileum terræ & ferè hominem affigens. Is vt erat torosus & masculi roboris, collecto spiritu in percussorem insurgit, spirisque ac brachiorum rotatu eualescens, armum tostum illi soluit, & cum abrepto, quam potuit pernicissimè, pedibus fugacibus nixus, erupit, altero, incassum, insequente, ac de simili præda sollicito, *Quatuor patinas ex culina ad mensam fert dapifer à VValpurg.*

licito, ac cupido, cui fuisse bene, si quæ acceperat feliciter, seruasset fortiter, alij culinam demolitum, alij veru ligneum, tigna asseres, sublicas ablatum ibant, adeò vt tota illa machina culinaria intra momentum ferè procumberet.

Officia Electorum Ecclesiasticorum mensa praambula.

Electores Ecclesiastici dum illa agerentur mensæ benedixerunt, sigillum Imperatoris tenentes dispositisque per præsentium tabulas ferculis, ea quæ religionem cultumq; diuinum spectabant curauēre. Mox tubicines & æneatores buccinas concorditer inflauere, ad regale epulum Principes Barones, Nobiliumque coronam inuitantes. Et mox S. Regia Ma.^tas^ mensæ suæ eleuatæ accubuit, & præsentes Electores Ecclesiastici singuli ad mensas singulas: Nuncij absentium non assedere vacuis mensis, sed ad Regis obsequia substiterunt. Ill.^mi^ Comites quoque Prouinciales singulari mensę Principum oblongæ, alijque Comites ac Barones, Nobilesque, vti quatuor quoque mensis in proximo conclaui ad hoc peculiariter instructis coadunatis tamen, Colonienses, Aquisgranenses, Norimbergenses, & Francofurtenses Legati assederunt. Omnia regifico luxu, apparatuque in mensis abacisque disposita erant, ita vt innumerabilem supellectilium vasorumque ex auro, argentoque ductorum copiam ibidem videre esset, & attalicorum peristromatum, tapetiorumque phrygiorum numerum copiosum.

Mensæ consessæ & inanes.

Hypotyposis fontis rubellum albellumq; vinum despumantis.

Fons singulari ingenio, arteque fabrefactus per tubos canalesque duos duos plumbeos albellum rubellumque vinum despumabat irremisse; at intractabile vulgus moræ impatiens, ac quieti fluxus insolens quod ex voto non posset quilibet vinum sorbere, intra dimidiæ horæ spatium illum discerpsit subruitque. Erat vero fons ille sexangulus, octo pedum altitudinis subtus excauatus, & extùs panno colorato lineo circumductus, gramen flores frutices, & ad lene fluentis aquæ natantem vluam, herbasque repræsentans, ac ad rupem vernis honoribus superbus. In cuius medio globus consistebat quatuor fistulis vinifluis distinctus: globo biceps Aquila explicatis alis, vnguibus globo impactis, vtroque rostro vinum egerens incumbebat; diadema Cæsareum infulis ac cruce fastigiatum supra collum vtrumque Aquilæ positum gerens. Globum, Aquilam, coronam, sertum seu circulus laureus figuræ oualis coercebat, quem gemini Leones implexis vnguibus, & hiantibus oribus vino exuberantibus sustentabant, in cuius apice sancta Iustitia nudipes ac fluido syrmate decora oculos candido panno velata stabat bilancem dextera, sinistra gladium attollens: Hunc fontem cuius fluore toto epulo regali frui potuissent, deijciunt, aquilam, Leones, Iustitiam deripiunt, tigna assereſque euertunt, tubos plumbeos obstruunt, conuellunt etiam vsque in subterraneas latebras penetrando. Vulgus enim impotente impetu, condenso confluxu accessum obstruere, vrce-

Iustitia.

Destructio fontis.

orum

orum, capedinum cuparum obbarumque conflictu vinum profundere, ira odioque inflammatum haurientibus inuidere, ac suauissimi vini occultas venas sistere ac præcidere.

Rex autem & Septemuiri Principes Legatique cum regales epulas ad horam V. pomeridianam ab secunda hora, germanico ritu numerando protraxissent, ad tertiam Procuratores Electorum absentium, qui domum abierant officijs suis peractis rediere ad palatium seu Curiam Romanam in quo Rex ac septemuiri epulabantur, abruptoque hora V. conuiuio gratiæ Deo actæ sunt per Electorem Moguntinum de collatis donis ac beneficijs, & Cæsarea sua Maiestas cum Electoribus & Procuratoribus absentium de Senaculo curiæ descendentes, inscensis equis, consueto ordine ad Palatium Brunsfelsium perrexerunt gradatim, cumque solemni pompa Romanorum Regem in superius aulæ peristilium deduxissent, contentissima voce exclamarunt, omnes.

Rex Romanorum finito epulo domum deducitur.

Viuat, viuat, viuat Rex Ferdinandus, &c. & in sua singuli palatia redierunt. Atque ita optatissimæ coronationi gloriosissimi Regis Ferdinandi vti ex narrata serie patet, finem dedere.

Acclamationes.

Post regale aliud epulū institutum fuit, ad quod omnes Electores & absentiū Coelectorū Procuratores inuitati in palatio regio accubuerunt, Senatus quoq; Francofurtensis & ciuitas homagium, & fidelitatis iuramentum S. Cæsareæ M.ti præstiterunt, vbi insignē vrbs Francof. orationem & cultam haberi petijt, totamque communitatem & ciues vniuersos ac Senatum fidelissimè tuendos & defendendos accepit: Priuilegia & quæ antiquitus indulta Cæsarea vrbs Electoralis acceperat, pari potestate, & in primis prophanam ac Religionis pacem confirmauit, omniaque clementissimi Cæsaris officia nihil cogitantibus æmulis, nec sperantibus talem Ferdinandum II. futurum, omnibus numeris absoluit.

Regale epulum in palatio Regio.

Exceperunt hastiludia Magnatum, aliæque ad palum circulumque Principum exercitationes, & decursiones, ad quas inclinante iam sole choreæ ac tripudia singulari cum modestia adiectæ, grati animi ac triumphantis indices, quibus de feliciter Electione ac Coronatione peractis Cæsareæ Maiestati applaudebant. Decima septima, Electores Moguntinus ac Treuerensis & absentium Coelectorum Nuncij, decimo octauo septembris stylo nouo Imperator cum Ferdinando Electore Coloniensi insigni cum comitatu & equitibus discesserunt Francofurto, indeque Cæsar diuulso à se Electore Ferdinando fratre Asschaffburgum, hic Moguntiam peruenere, postridie vero Herbipolim vbi Princeps Herbipolensis illum magnificentissimo cum apparatu, reuerentia, & gaudioso applausu regificentissime excepit. Atque hæc de Electione & Coronatione inuictissimi Cesaris nostri

Hastiludia Magnatū.

Exceptio S. Cæs. Ma.tis ab Herbipolensi Epc.

Ferdinandi II. Romanorum Imperatoris semper Augusti dicta sufficiant, nunc agnitionem tantæ Maiestatis adijcimus ab eiusmodi Principe factam, qui quantum æmuli oderant Austriacum germen, in tantum amabat, & qua valebat inter Principes orthodoxos potentia fidelissime, cum tanto Principatuum suorum detrimento, succurrebat. Est autem ille Ioannes Godefridus. D.G. Bambergensis ille & Herbipol. Antistes per Germaniam, Galliam, Italiam, immo Christianum orbem vniuersum, religionis fideique Zelo, Sedis Apostolicæ veneratione, S. Cæsareæ Ma.tis cultu, Imperij Principum, & Electorum obseruantia, animi magnitudine, & periculorum, ante alios prædecessores suos, contemptu celebratissimus, vt quandoquidem animum obsequentissimum, & Cæsaris obseruantissimum videre non liceret, exteriorem apparatum interioris indicem munificentissime exhiberet, cuius schema damus, quod quiuis cũ Romanis ritibus conferre poterit, & quã cõsonanter cum Romana Ecclesia filij obedientes in religione moribus, precibus, votisque conueniant, quibus Regibus suis longitudinem dierum obtinere contendunt, discere. in quem finem & ordinis Romani ideam adiunximus.

Ex litteris Herbipolensib. Fuldam missis.

Imperatoris Romanorum Ferdinandi optatissimus ad nos Herbip. aduentus incidit in 21. Septemb. diem, Scilicet Festum S. Matthæi Apostoli. Ab Illustrissimo Bamb. & Herpibolensi Principe nihil fuit prætermissum eorum, quibus celebritatis huius maiestatem amplificari posse putauit. Itaque cum non modo Feudatarios suos, & equestris ordinis viros, verum etiam Episcopos, Abbates, & Prælatos vtriusque diœcesis Herbipolim contraxisset, omnes ad condictam diem præsto fuere. His vtriusque ordinis viris, quasi duplici instructus exercitu, Illustrissimus Princeps Cæsareæ Ma.ti obuiam processit iam dicta die. Et eo quidem cum præcedentis noctis fœda tempestas omnem futuræ serenitatis spem præcidisset, superis mire fauentibus, post meridiem incredibili serenitate perspicuo, agmen vniuersum duxere, tubicines bene multi, qui vrbi propiores facti, festiuo, cõcisoque tubarum concentu Imperatoris aduentum denunciarunt, hos proxime exceperunt stipendiariorum Equitum Herbipolensium turmæ tres, qui galea, & thorace ferreo muniti, & singuli bombardam præferentes, nescio quid Martium vel in ipsa pace spirabant: illis miro ordine pompæ succedebat cum Illustrissimi Principis, tum nobilium Canonicorum familia. Adhæc sequebatur nobilitatis Franconicæ equitatus, qui equis, armis, & exquisito cultus genere conspicuus oculos spectantium mirifice permulcebat, nihil dico de singulis, ne modum excedam. Si vobis equos peregrinos, & generosissimos, phaleras sumptuosissimas, aurea calcaria. Si acu pictas, & serico omnis coloris

Ordo nobilitatis & equitum.

coloris eleganter variegatas vestes, enses inauratos cogitatione finxeritis, plura tamen & maiora erunt opulentæ supellectilis, & ornamentorum genera excogitanda. A sæcularibus & profanis venio ad Sacros, & Ecclesiasticos, quos inter cum Religiosorum omnium familiæ Capuccini, Augustiniani, Carmelitæ, Franciscani, Dominicani prælatis vexillis longo, & tacito agmine præcessissent, illis successere omnium Collegiorum & summæ ædis Canonici, & Vicarij, pauci superpelliceis: cęteri omnes sumptuosis pluuialibus amicti. Horum plurimi voce, & lateribus præ reliquis valentes, Sacros Psalmos huic rei, & tempori accommodatos concinuere. Inde non procul accedebat vmbella deportata à summæ ædis, aliorumque Collegiorum primarijs canonicis, sub qua Augustiss. Imperator Ferdinandus equo albo vehente omnium ad se animos, oculosq; rapiebat: ita tolutim, & temperato passu incedebat equus, in certa ingenij grauitate qualem sessorem veheret, sentire videretur. Antecedebat vmbellam venerandum, & vere visendum infulatorum agmen, constans ex Abbatibus & Præpositis 14. Episcopis duobus, & ipso Illustrissimo Principe nostro, qui illa cõspicui corporis sui forma venerabili, & Episcopalibus gēmarũ, & vnionũ varietate pretiosis ornamentis, inusitatum splendorem huic agmini conciliabat In eius mitraticonspectum vt primum venit Cæsar, ad aram hunc in vsum excitatam crucem ei auream deosculandam porrexit, his simul eum verbis compellans: *hanc crucem accipe, honora, & tuere*: ad quæ clara voce Imperator. *Hoc faciam*. Mox gladium porrigens Illustrissimus Princeps, hoc ait, *Religionem tuere*. *Lubens verò*, inquit *ille*. Secundum vmbellam comiti Mansfeldico euaginatum gestanti ensem, dein Cæsaris cubicularijs & familiæ locus fuit. Tunc vero adhuc aliquot è nobilitate viri opibus & auctoritate præstantes successerunt. Nouissimum agmen clausere stipendiarij equites reliqui, per alas turmasque distincti, eo ordine indutis galeis, & prætensis sclopetis, vt non modo tantæ pompæ præsidio, sed etiam ornamento esse viderentur. Hoc ordine tormentis maioribus, & minoribus horrendum perstrepentibus, campanis omnium templorum simul personantibus, inter festiuas acclamationes, tubarum cantus, tympanorum strepitus, vrbem tandem ingressus est. Ipsam portæ faciem Senatus populusque Herbipolensis eleganti pictura exornauerat, vt nihil prætermisisse videretur, quod ad S. C. M. tem dignè excipiendam pertineret. Fuisset enim indeuoti subditi argumentum à non sequi Antistitem & Principem suum, cuius actiones omnes & studia ad colendam Sacræ Cæsareæ Maiestatem vel maxime ferrentur. Ideo more veterum Romanorum, hoc monumentum erexit cum hac inscriptione: F E R D I N A N D O

Ordo Cleri & Ecclesiasticorum.

Princeps ipse cum Prælatis.

Ceremonia in occursu vtriusque.

II. ROMANORVM IMPERATORI S. P. Q. VV. P. Præferebat ſpicura aquilam imperialem, in cuius ventre viſebantur inſignia Imperatoris, eadem bicipiti vertice binas coronas regias geſtabat, vtrinque conſiſtebat columna aureo colore perſtringens oculos hac itidem inſcriptione: PLVS VLTRA: Harum vtraque corona regia ſupernè decorabatur. Ad hanc portam ordine Magiſtratus conſiſtebat, qui portarum claues Cæſareæ Maieſtati repræſentauit. A porta per aliquot vrbis regiones, longo tractu, inter perpetuam militum, ciuium ſtationem ad ſummum templum proceſſum eſt, domibus hinc inde ſpectantium fœminarum & virorum multitudine refertis. Ante ſummæ ædis veſtibulum equo cum deſcendiſſet Imperator, atque à prænobili Decano breui oratione ſalutatus, & aqua luſtrali à D. Præpoſito aſperſus eſſet, ipſum templum ſub vmbella introijt, ipſo Principe clariſſima voce *Te Deum Laudamus*, inchoãte; Quo finito cantuo cũ Eccleſiaſticis domum iam abeundi poteſtas facta eſſet Illuſtriſſimus Princeps ornamentis Epiſcopalibus depoſitis ſuam Maieſtatem templo eduxit. Rhedam inſcenſurus Imperator, Illuſtriſſimum Principem aperto capite ad ſe inuitauit, cum hic renuiſſet, humanitate nihilominus ſua modeſtiam Principis expugnauit. Aliquot paſſibus prouectis occurrit arcus triumphalis opere mirabili, & vt ferunt nongentorum ſumptu eductus, altitudine ſua domorum faſtigia exæquabat. Superne arcus partem Imperialis Aquila ingentibus alis patula & porrecta contegebat. E dextra ſiniſtraque arcus parte, velut ex equo Troiano ſymphoniacorum chorus repentè exiſtens, & Cæſaris rhedam vtrinque cingens aliquo vſque, eundem feſtiua acclamatione deduxit. Hic itidem coronam ſiue ſertum à nobiliſſima virgine SchvVartzburgicorum Comitum illuſtri familia repræſentatum humaniſſime acceptauit, & auguſto vertici impoſitum aliquanto tempore geſtauit. Vt paulatim ad pedem montis cui arx imminet ventum eſt, tum vero iterum ad declarandam lætitiam maiora minoraque tormenta diſploſa ſunt, Ita vt terribili ſonitu Cœlum crepitare, terra quati ac tecta nutare viderentur. Triumphi huius clauſula fuit inedia Cæſaris, quam ſibi vere Catholicus Princeps ex præcepto Eccleſiæ indixit, cum in Zellingen ſi pago ſumpſiſſet prandium munificentia Principis apparatum. Poſtero die, qui fuit Dominicus, cum in eundem commodè dedicatio templi aulici incidiſſet, Cæſar ſupplicationi quotannis ritè haberi ſolitæ interfuit, & coram, illam Infulatorum Abbatum, Prælatorum & Epiſcoporum multitudinem cum admiratione ſpectauit. Deinde Sua Mai. priuatim ex manibus confeſſarij Sacram Communionem ſumpſit. Pro concione eodem die dicere voluit Illuſtriſſimus Princeps R. P. Rectorem Andream Kirchberger nobilem, qui cum poſtea priuatim Cæſari aduentum gratulaturus veniſſet, mirum eſt quanta humanitatis ſignificatione

Item Columna.

Ingreſſus in Baſilicam cathedralẽ.

TE DEVM Laud.

Arcus triumphalis.

Maiora tormenta exploduntur.

Cæſar ſupplicationi intereſt.

gnificatione eum exceperit. Vnum eſt quod ſileri non debet, Cum M.ti eius vniuerſam ſocietatem commendaſſet, hoc eum reſponſo dignata eſt: Societatem veſtram ſemper amaui & amabo in poſterum. A meridie magna procerum, & nobiliū frequentia ſtipatus Soc.tis Collegiū quoque inuiſit, ſingulos ad manus oſculū ad miſit. P. Maximilianum Sandæum dicentē attente audiuit, Danielem Tragico comædiā à iuuentute in ſcenā productū aliquot horis ſpectauit, In area ſeminarij Academiā congregatam cū Rectore Magnifico ſalutauit, gratum fuiſſe ſingulis porrecta dextera oſtendit. Deniq; cū poſt finem comædiæ impoſitū Principis Herbipol. ſeminarium luſtraret, à P. Rectore multa de Profeſſorū & diſcipulorū numero, de promotionū ritu & loco, de ſodalium frequentia, alijſq; non minus diligenter quā familiariter inquiſiuit. Nullam alicubi, ne quidē in Muſæis conuictorū & ſodalitatis loco prætergreſſus eſt aram, cui nō venerabūdus acciderit, ad extremum cum omnia beneuolentiſſimi animi indicia dediſſet, ſe Imperiumque ſuum precibus Deo commendari enixè flagitauit, quod quidem vt à nobis quā diligentiſſime fiat, non modo ipſe tantus Imperator iure quodā ſuo poſtulat, verum etiam exigit reipublicæ Chriſtianæ ſalus, quæ ſine tanti Principis incolumitate in Germania ſalua eſſe non videtur. Nocte inſequenti ad horam vſque 12. ad Mæni ripā aer ſerenus artificiatis ignibus nunc aquilam, nūc coronā imperialē, nūc alias formas repræſentantibus collucere viſus eſt, clāgore tubarum ad ſpectaculū ciuitatē inuitante. Die lunæ verò ſumpto in arce ientaculo diſceſſit. Hęc de exceptione illa ſint ſatis, nunc Romani ordinis eſt addenda, vt precationum formulæ ad oculū videātur. Quid autē moris obſeruet S. Romana Eccleſia, ex ordine ſubiecto cognoſcere lector poterit, qui deſumptus eſt ex Pontificali Romano. Anno. M. D. L XXXII. Venetijs apud Iuntas edito. Tertia parte fol. 219.

Inuiſit Colleg. SP.

Item Seminarium Epiſcopale.

Quando Imperator venit ad aliquam vrbem, vel oppidum inſigne: Clerus vrbis obuiam venit ei proceſſionaliter: tamen extra portam aliquantulum magis remote: quam prælato & legato fieri ſolet. Imperator ex equo (quod magis conuenit) deſcendens in terra: ſuper tapetem ſtratum genuflexus: oſculatur ibidem crucem, & ſub baldachino ducitur vſque ad Eccleſiam: proceſſio præcedit immediate Imperatorem: & is qui gladium Imperatori præfert, equitat immediate poſt prælatum proceſſionis. Si vero legatus apoſtolicus Imperatorem reciperet: aut cum eo vrbem intraret: vel alias ſecum iret, vel equitaret; ille qui gladium Imperatori præfert: & alius crucem Legati portans, ſimul ire debent. Crux legati: quia debetur ei latria, erit à dextris, & gladius Imperatoris à ſiniſtris. Interim dum procedunt ad Eccleſiam, cantatur Antiphona. *Ecce mitto angelum meum qui præparabit viam*

Ordo ad recipiendum proceſſionaliter Imperatorem.

tuam ante faciem tuam. Et post antiphonā prædictam cantantur hymni, vel alia cantica deuote, prout magis placebit, Cum Imperator descenderit & intrat Ecclesiam: prælatus Ecclesiæ accepto asperforio aspergit eum: deinde alios in genere: & procedunt vsque ad altare maius: coram quo Imperator genuflectit super faldistorio ibidem sibi parato. Prælatus, vero Ecclesiæ, ascendit ad cornu epistolæ altaris: vbi stans versus ad orantem: detecto capite, dicit. Vers. *Deus iudicium tuum, regi da.* Res. *Et iustitiam tuam filio regis.* Vers. *Iudicare populum, tuum in iustitia.* Res. *Et pauperes tuos in iudicio.* Vers. *Suscipiant montes pacem popalo,* Res. *Et colles iustitiam, &c.* Vers. *Saluum fac, N. Imperatorem nostrum Domine.* Res. *Deus meus sperantem, in te.* Vers. *Mitte ei Domine auxilium de Sancto.* Res. *Et de Sion tuere eum.* Vers. *Nihil proficiat inimicus in eo,.* Resp. *filius iniquitatis non apponat nocere ei.* Vers. *Fiat pax in virtute tua.* Resp. *Et abundantia in turribus tuis.* Vers. *Domine exaudi orationem meam.* Resp. *Et clamor meus ad te veniat.* Vers. *Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu tuo.*

OREMVS.

Deus in cuius manu sunt corda regium: inclina ad preces humilitatis nostræ aures misericordiæ tuæ: & Imperatori nostro famulo tuo N. *regimen tuæ sapientiæ appone: vt haustis de tuo fonte consilijs, & tibi placeat, & super omnia regna præcellat.*

Prætende Domine, quæsumus famulo tuo N. *Imperatori nostro dexteram cælestis auxilij, vt te toto corde perquirat, & quæ digne postulat, assequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum.* Resp. *Amen.*

Deinde si prælatus sit episcopus vel maior: stans ante altare benedicit solemniter populo dicens. *Sit nomen Domini benedictum*, Intellige si non sit præsens legatus, quia benedicet legatus si sit præsens ibi. Qua benedictione data: depositis Sacris vestibus, associat Imperatorem vsque ad eius hospitium, Si autem prælatus ipse non sit episcopus vel maior: finitis orationibus prædictis: depositis vestibus sacris: associat, vt supra.

Ibidem fol. 219. parte 3.

Ordo ad recipiendum processionaliter Regem.

Quando Rex ad aliquam vrbem: aut oppidum insigne venit, Clerus processionaliter obuiam vadat ei extra portam: vbi Rex equo descendens: in terra super tapetem stratum genuflexus: osculatur crucem quæ per prælatum sibi porrigitur, Deinde sub baldachino ducitur vsque ad Ecclesiam ordine supradicto. Interim cantatur Responsorium. *Elegit eum Dominus, & excelsum fecit illum præ regibus terræ. Glorificauit eum in conspectu regum: & non confundetur. Et. Vers. Gloria. Et.*

De-

Deinde cantantur hymni: vel alia cantica magis placentia. Cum rex Ecclesiam intrat, prælatus accepto asperforio aspergit eum: deinde alios in genere, & procedunt vsque ad altare maius: coram quo rex genu flectit super faldistorio ibidem parato: & orat. Prælatus vero ascendit ad cornu epistolæ altaris: vbi stans versus adorantem: detecto capite, dicit versus. *Deus iudicium tuum regi da.*

Res. *Et iustitiam tuam filio regis.*
Vers. *Saluum fac regem nostrum Domine.*
Res. *Deus meus sperantem in te.*
Vers. *Mitte ei Domine auxilium de sancto. Et de Sion tuere eum.*
Vers. *Nihil proficiat inimicus in eo.*
Resp. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*
Vers. *Fiat pax in virtute tua.*
Resp. *Et abundantia in turribus tuis.*
Vers. *Domine exaudi orationem meam.*
Resp. *Et clamor meus ad te veniat.*
Vers. *Dominus vobiscum.*
Resp. *Et cum spiritu tuo.* OREMVS.

Deus, cui omnis potestas, & dignitas famulatur da huic famulo tuo regi nostro. N. *prosperum sua dignitatu effectum: in qua te semper timeat: tibique iugiter placiter contendat. Per Christum Dominum nostrum.* Res. *Amen.*

Deinde prælatus si sit Episcopus, vel maior: accedit ad medium altaris: & ibi populo solemniter benedicit. Tum sacris dimissis vestibus: regem vsque ad Hospitinm comitatur.

Hæc ordo Romauus seu Pontificale habet, de Episcopis aut prælatis qui Regem Romanorum, aut Imperatorem, vel alium aliquem orthodoxum Principem excipere habent, vt verificent illud Principis Apostolorum sapientissimum axioma. *Regem honori ficate,* illudque prophetæ Baruch. *Orate pro vita Nabuchodonosor Regis & pro vita filij eius, vt fiant dies eius, sicut dies cæli.* Quod ex intimis præcordijs optauisse quoque medullitus comprecatum esse, Bambergensem & Herbipolensem Episcopum, Inclyto Cæsari Ferdinando, amoris honorisque monumenta posita, æternum loquentur. Atque hæc ad Diuinæ Maiestatis gloriam dicta sufficiant, quæ admirabili prorsus & arcano Prouidentiæ ordine, inculpatissimum, & gloriosissimum Regē Ferdinandum ad Cæsareum diadema in salutem populi sui, & hostium eius cōfusionem euocauit Cui soli immortali, visibili, honor virtus & gloria in secula seculorum amen.

Genealogia breuis & elogia Ducū Lotharing.

Et iam licet obligationi meæ vtcunque satis fecerim, parentelam, Electionem & Coronationem Ferdinandi II. Augusti Cæsaris describendo,

vnum tamen deerat, vt nimirum Genealogiam Ser.ᵐᵃ domus Lotharingicæ apponerem, cuius occasio inserendæ toto opere data non fuit. Atque ideo in fine operis addendam iudicaui: propterea quod inde auiæ Maternæ genus, videlicet Renatæ Ducissæ Bauaricæ Ser.ᵐⁱ Guilielmi V. coniugis vel maxime elucescat. Esse enim domum Maiorum imaginibus nobilissimam, auis atauisque potentissimam docent, tum Regum, tum Ducum tituli, & hos quidem nunquam posuerunt, vt in Comitum ordinem, quod multis alijs accidit, descenderent, Olim autem Austrasiæ, Metenses, Hierosolymorum & Neapolitani Reges audiuere. Ostendit quoque in oratione funebri luculenta serie P. Leonardus Soc.ᵗⁱˢ Iesu SS. T. Doctor, quam in exequijs habuit Caroli III. Ducis, & typis mandata est, plus quam quadraginta ex domo illa vel Sanctos, vel Beatos numerari, & inter illos quoque qui summum Pontificatum in Ecclesia Dei gesserunt. Baronius item in tom. XI. annalium hoc illis elogium tribuat, se *Lotharingiæ Duces semper aut innocentes aut pænitentes reperisse.* Atque ideo in hæc vsque tempora omnes & singuli acerrimi & fortissimi Catholicæ religionis defensores extitere, quando vel capitalis Christiani nominis hostis in Hungaria repellendus erat, vel Hugonotti & Caluiniani, turbarum in regno Galliæ & Imperio Romano sutores peritissimi contundendi, vti ex decursu patebit. Quia tamen nimis prolixa Genealogia est, ante Carolum Magnum & post illum deducta, à Renato illo Burgundionis Triumphatore initium sumam, & vnius circiter sæculi, breuitatis caussa, me gyro concludam:

Renatus Dux Lotharingiæ.

Renatus Friderici Comitis Vaudemontij, Lotharingiæ Ducis & Ioes seu Iolanthæ Renati Andegauensis Siciliæ Regis filius, se Regem Siciliæ, Neapolis, Aragoniæ, Hierosolymorum, &c. scripsit, Calabriæ, Lotharingiæ, Barri & Andiũ Ducem, Comitem Vaudemontium &c. Vir fuit acer & bellicosus, iam inde ab adolescentia, varia tamen fortuna exercitus (vt pote qui à Carolo Audace magnis & grauissimis bellis lacessitus, Ducatibus quoque exutus fuit) quam auxiliaribus Heluetiorum copijs nixus victo interemptoque Burgundo in felicissimam conuertit. Abijt ex humanis Anno Christi 1508. Nanceij sepultus in AEde Franciscanorum. Ex Philippa Adolphi Egmondani Geldriæ Ducis filia tres filios sustulit, videlicet

Lotharingia Duces, Guisios, Maynios, Aumalios & Elbuffios Duces in Gallijs procrearunt.

Carolum Nanceij natum A.C. 1486. ad diem 17. Octobris.
Franciscum Mussiponti natum A.C. 1487. ad diem 5. Iulij.
Antonium stemmatis propagatorem.

Claudium Guisæ Ducem, qui in Gallijs magnam hæreditatem à Renato Patre relictam adijt, à quo Duces Guisii in Gallia, Maynii, Aumalii & Elbuffii promanarunt, illa præsertim duo belli fulmina Guisiorum, videlicet Franciscus & Henricus, à quibus Hugonot-

gon ottorum vires insigni fortitudine, eneruatæ fuere, in quibus & vitam, pro defensione religionis orthodoxæ gloriosè impenderunt.

Antonius Lotharingiæ, Calabriæ, Barri Dux, &c. natus Barri pridie Nonas Iunij A. C. 1489. Anno ætatis X. in aulam Ludoici XII. Francorum Regis mittitur, generosæ indolis ac morum venustate, animique fortitudine sese insigniter Regi probans. Ex quo à morte Patris gubernaculis admotus fuit, varia bella expeditionesque confecit grauissimas, feliciter. Pro Gallorum Rege aduersum Venetos militauit, fidisque auxilijs adfuit. Nanceium vrbem mœnibus firmauit. Franciscum Galliæ Regem inueteratis odijs à Carolo V. Cæsare diffidentem eidem conciliauit. Perduellium Rusticorum acies, quæ totum Imperium propemodum inuaserant, ad Tabernas Alsatiæ cruento prælio cecidit, attriuitque. Duos potentissimos Monarchas conciliatos ad arma concordia contra iuratum Christiani nominis hostem exciuit. Rebus humanis exemptus, A. C. 1544. XIX. Kalend. Quintileis, ætatis anno 55. Ex Renata Borbonia filia Gilberti Ducis Mompensirij, cum qua nuptias in Ambosia arce celebrauit præter alios sustulit Franciscum & Nicolaum filios.

Antonius Dux Lotharingiæ.

Rusticorum stragem edidit. A. C. 1527.

Franciscus Lotharingiæ, Barri, Calabriæ, Geldriæ, Dux, Comes Zutphaniæ, ac Marchio Mussipontii natus A. C. 1517. Ab infantia Mussiponti Marchio dictus, & postquam Christinam Christierni Daniæ Regis exulis filiam, Caroli V. neptem, duxit Bruxellis, Barri Dux viuo Patre denunciatur. In aula Francisci I. Regis Franciæ educatur, cum tribus eiusdem filijs, postea etiam Regibus Franciæ, videlicet Francisco II. Delphino, Henrico II. Aureliæ Duci & Carolo IX. Engolismensi. Omni virtutum genere illustris adeo vt Regis filius diceretur passim, & nomen Sapientis ferret. Singularis Clericorum amator, & quos moribus atque eruditione præcellentes nosset, magnis impendijs aluit. Barri aduersa valetudine correptus Nanceium redintegratis viribus proficiscitur, corpusque patris sepulturæ dat, & nobilitatis peruetusta iura ac priuilegia confirmat. Cæsareanas Hispanorum copias S. Nicolai phanum euastantes aduentu suo propulit in Germaniam. Pacificationi Regem inter & Carolum V. cum alijs Dynastis Regibusque interfuit, ac subscripsit, & pacem Nicænam redintegrauit. A. C. 1545. ad thermas Plomberias cum valetudinis firmandæ caussa iret, lensim tabescens, dum domum reuocatur ad Romarici montē (vulgo oppido hoc Rumelsberg vocatur) apoplexia moritur pridie Idus Iunij, Ducatus sui anno I. & Nanceij in æde Franciscanorum sepultus. Exingraue certamen inter viduā, & Nicolaum fratrē exortum propter tutelæ administrationem. Carolus enim minorennis erat. Nobilitas Nicolaum cupiebat, neglecto muliebri imperio. Hoc Carolus V. composuit, vtrique regimen pari potestate deferens. Henricus II. Nanceium veniens Carolum in Franciam misit. Hic enim vnicus erat Francisci filius.

Franciscus Lotha. Dux 62. in aula Francica educatur.

Renatam & Dorotheam sorores ad auunculum Cæsarem Carolum V. Atque ita solus Nicolaus Princeps Lotharingiæ illam gubernationem sustinuit felicissimè. Qui Nicolaus auus fuit Reuerendissimi & Ill.mi Principis Francisci à Lotharingia Decani Metropolitani Colonienfis de quo postea. Suscepit ergo tres ex Christina proles, 13. Carolum Ducem, Renatam Bauariam Christinam, & Dorotheam Brunsuicensem.

Nicolaus Comes Vaudemontius, Princeps Lotharingiæ.

Nicolaus Francisci frater, Antonij filius, Nepos renati Lotharingiæ vtriusque administrator, Comes Vaudemontius, &c. belli pacisq; artibus clarissimus, religionis orthodoxæ acerrimus propugnator. A.C.1550. cùm Henricus II. Carolum pupillū in Franciam mitteret, & Christina mater cum Renata & Dorothea filiabus Mediolanū abirent, solus administrationem, cum ingenti nobilitatis gaudio sustinuit. Qua autē prudentia inde dignoscitur, q̄ inter Galliæ Regis & Cæsaris expeditiones & obsidionem Metensem Lotharingiam à militaribus vastitatibus liberarit, tres in matrimonio coniuges habuit primā Margaretam Ioannis Egmondani Gaueræ Principis filiam. Secundam Ioannam Philippi Sabaudiæ Ducis filiā. Tertiam Catharinam Claudij Lotharingi Aumalij Ducis filiam, ex quibus hæ proles processerunt.

Tres coniuges Vaudemontij.

Ludoica siue Aloysia Vademontia Henrici III. Valesij vltimi Galliæ & Poloniæ Regis vxor, quæ sine liberis in tanto regno obijt.

Carolus Emmanuel Princeps à Lotharingia, Dux Mercurij, Cæsareani exercitus in Hungaria præfectus, memorabiles Turcarum strages edidit & victorias reportauit, in Gallijs aduersus Regem Nauarræ multa præclarè gessit. Obijt Norimbergæ ex morbo Hungarico Princeps excellentissimus.

Henricus Princeps à Lotharingia, Marchio de Moy, &c. in Hungaria equitum Cæsareanorum Præfectus, qui etiam morbo eodem, cum fratre correptus, Viennæ mortalē vitam cum immortali permutauit, Pater Dec. Met.

Ericus Princeps à Lotharing. Episcop. & Comes Virdunēsis, quē resignatū ex fratre nepoti suo Ill.mo Carolo, Decani Metropol. fratri transcripsit.

Henrici proles.

Carolus Princeps à Lotharingia Episcopus & Comes Virdunensis.

Henricus Princeps à Lotharingia, iā actu imperans, Marchio in Moy, &c.

Franciscus Princeps à Lotharingia filius Henrici, nepos Nicolai Vademontij, pronepos Antonij, trinepos Renati Ducum Lotharingiæ. Marchio de Moy. &c. natus A C.1595. in octaua trium Regum, nō sine omine, aliquando futurū illū Principē, qui SS. Triū Regū, & D. Petri in Colonia Agrippina, Basilicæ & vniuerso Clero, R.mus Decanus, vitæ morumq; illibatorū exemplis, & rara eruditionis artiumq; laurea insignitus, summa cum laude omniū præsideret, & prudentiæ modestiæq; palma in flore ætatis, ante alios, longè lateque effloreret, vt qui sui generis ante annos mille S. Cunibertum habuisset Archiepiscopum Lotharingiæ dynastā, à quo Collegiū Canonicorū. ad

Franciscus à Lotharingia Decanus Metropolitanus.

maio-

maioré Dei gloriã cum Basilica elegantissima fundatũ esset, eundé ipse sanctitatis & religionis acceptis possessisq; exemplis sequeretur. A.C. 1614. ad diem X Maij Coloniã venit,& Philosophiã feliciter apud PP. Soc.tis Iesu auspicatus mathematicas disciplinas accurate perdidicit, Iuris & Theologiæ historiarum adyta peruestigauit, ex Præpositurã S. Cuniberti, assidue in dies siue opportuno, siue importuno tempore, cælo, sudo, turbulento, seu pedes, seu rheda vectus Gymnasium frequentans, A.C. 1613. à R.mo D. D. Erico Comite in Limburg & Brunckhorst, Domino in Styrumb, Weiß/Burckeloe/ Maioris Ecclesiæ Scholastico, & Decano D. Gereonis, ad Canonicatũ nominatus est, cumq; morum elegantia, & cum primis Relligionis fideiq; zelo se probasset sublimius A.C. 1618. in Capitularé euectus, mox Diaconus senior efficitur. Exin resignãte Generoso Comite Egone à Fürstenberg/&c. Chori-Episcopus & Prælatus: & anno 1620. cõmuni concordiq; Capitulariũ suffragatione ad diem 25. Martij resignante R.mo D. D. Hermanno Adolpho Comite Salmensi, Domino in Reifferscheidt/ Bedbur/ Decano Argentinensi, & D. Gereonis Præposito, Supremum in Capitulo locum obtinuit, adeoque per oẽs gradus ad tantũ fastigiũ, ascendit insigne Ser.mæ Lotharingicę familię columẽ futurus, cui Deus Op. Max. numerosos annos addat animitus voueo.

Carolus III. Lotharingiæ, Calabriæ, Barri, Geldriæ Dux 63. Mussiponi Marchio natus A.C. 1542. post inexpectatam Patris acceleratamq; mortem 3. ætatis anno Dux salutatur sub matris ac Nicolai Patrui administratione vixit ad annum 9, quo Henricus II. Galliarum Rex cum ingenti exercitu in Lotharingiam irruens Tullum Metim Virdunumq; Imperio adimit ciuitates Imperiales, Nanceiumq; veniens interceptum Carolum nouennem in Franciam mittit, frustra matre lacrymis deprecante facti insolentiam, & in exilium ire iussa cui pro solatio filiam suam elocaturũ filio eius spondens, quod & factũ. Nam duxit illi Claudiam Valesiam secundo genitam, vti Philippus II. Elisabetham primogenitam, in cuius nuptijs Henricus Rex regia cum Maiestate celebratis, inter Hastiludia, frontem cuspide saucius postridie, putrescẽte vulnere expirauit. Quę cum Carolus 9. excepisset, ipse Carolus Lotaringus & Claudia cõiunx, A. C. 1570. inuestiturã Barrensis Ducatus impetrant, ac supremã Curiã Senatumq; ad Fanum Michaelis instituunt. Carolus quoq; Cardinalis apud Pontificẽ Gregoriũ XIII. vti dux ipse Cæsaré egerat, vt Academiã & scholã excolẽdis ingenijs erigere liceret. Neq; voto suo frustrati sunt. Nam Patrũ Soc.tis Iesu opera feliciter iactis fundamentis nomẽ famãq; lõge lateq; extulit A.C. 1575. quo anno quoq; Dorothea Caroli soror Erico Duci Brũuicẽsi est despõsata: Quas Caluiniani in Gallijs turbas aduersũ Orthodoxos excitabant, & in Lotharing. effundere pari impietate cõtendebãt, viriliter elusit partim, partim quoq; insigni fortitudine propulsauit, etiã cũ

ex mor-

Insignia gesta Carol. III Lotharingi. ex morte amantissimæ coniugis mœstus esset, quæ A. C. 1575. diem suum obijt. A cuius obitu Casimirus in fratris Regis Galliarum Henrici III. Ducis Alenconij auxilium cum valida Germanorum manu aduolans, ingentibus malis Lorenum agrum attriuit. Bitzæum natura & arte munitissimum, Iamesium ad hostium ferendos & propulsandos insultus probè munitum, & Marsallum propugnaculis, aquis, paludibus firmissimum obsedit & ad accelerandam deditionem compulit. Religionem propagauit, multas vrbes muro & fossa communiuit, commercia erexit, fœdus cum finitimis firmauit, pacem stabiliuit cum subditis, vti parens cum liberis egit, populo salus fuit. Episcopatum Argentinensem in prædam Protestantibus datum, armis suis & ingentibus impendijs fortiter asseruit: religionem adeo conseruauit orthodoxam, vt omnes animi neruos in hoc vnum conferret, quomodo illam illibatam aduersus omnes Caluinianorum Hugonotorumque machinationes, ac turbulentas sanguinariasque sutelas, defenderet, vsque ad annum ætatis LXVI quo ex humanis abiens, Ducatus in religione Romanâ maximè firmatos, filio Henrico II. transcripsit. Obijt A. C. 1608. ad diem 14. Maij, Princeps incomparabilis, Pater Patriæ, Pius, Fortis, Felix, religionis orthodoxæ inconcussa in Gallijs basis, fideique Catholicæ inexpugnabile propugnaculum & inuictum, cui admirabili pompa, & mœsto Ducis Henrici II. paratu parentatum à die obitus vsq; ad XIX. Iulij anno eodem, absolutissimis filialis pietatis in tantum parentem argumentis, de quo latius in sumptuosissimis æreis tabulis editis Nancei, A. C 1608.

Carol III. Liberi. Ex Claudia Valesia hasce proles sustulit. Henricum Marchionem Mussipontanum, seu Pontis Moncionis, natum Nancei, 1563, die Lunę 8. Nouembris circa meridiem; qui modo rerum potitur feliciter.

Christinam natam Nanceii, A.C. 1565. die 9. mensis Augusti hora 11. matutina cum dimidia, &c.

Carolum S.R.E. Cardinalem Argentinensem Episcopum. & Canonicum Coloniensem, A.C. 1567. hora 7. matutina 1. Iulij.

Antoniam Gandulphi, villę, die iouis 26. Augusti hora 9. mat. A.C. 1568. Vxorem Ioannis Guilielmi Cliuij, Iuliæ, Montium Ducis, &c.

Annam Nanceij 10. Octobris horam circiter 10. matutinam. A.C. 1569.

Franciscum ibidem 27. Februarij inter 11 & 12. noctis A.C. 1572.

Catharinam 3. Nouembris ibidem, A.C. 1573.

Elisabetham & Claudiam geminas A. C. 1574. quos omnes ita descriptos inueni.

Henricus eius nominis inter Lotharingos II. Dux 64. filius Caroli, nepos Francisci, Pronepos Antonij, trinepos Renati, Optimi Parētis filius optimus & cordatissimus ex Margareta Gonzaga Mantuana nullam prolem masculam

mancano
le pagg. da 129 a 136





